DISPUTATIO

DE

AMOSO.

DISPUTATIO ACADEMICA

DE

AMOSO

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI BAKE,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT.
LITT. HUM. PROF. ORD.

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE *FACULTATIS THEOLOGICAE* DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITÈ ET LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

THEODORUS GULIELMUS JOHANNES JUYNBOLL,

ROTERODAMENSIS.

A. d. XX *Junii* MDCCCXXVIII. *hora* XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos,
MDCCCXXVIII.

MATRI OPTIMAE

CARISSIMAE

SACRUM.

VIRO DOCTISSIMO

JOHANNI KAPPEYNE VAN DE COPPELLO,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. GYMNASII HAGANI RECTORI.

S. P. D.

THEOD. GUL. JOH. JUYNBOLL.

Hunc libellum, Vir Doctissime! Matri carissimae dedicavi, quo nomine quidem Ipsam alloqui non possum, Novercam tamen dicere nolo. Romani enim, hoc vocabulo utentes, in earum rerum cogitationem incidere solebant, quae in illam Foeminam prorsus non conveniunt, quasque de Ea suscipere, impium, quin nefas esse duco. Tanta benevolentia, tamque insigni pietate me filium accepit, et perpetuo amplexa est, ut Matris, infanti mihi ereptae, vicem non tantum expleverit, sed in omnibus quibuscumque negotiis mihi alteram Matrem se revera praestiterit. Nosti acerbissimam calamitatem, ante hos septem fere annos mihi illatam, qua gravior nulla profecto mihi umquam accidere potuit. Tunc temporis etiam orbatus sum Patre optimo, cujus memoriam sancte et religiose servare, infinita, quid! vere paterna beneficia, paterna monita, aliaque sexcenta merita recolere, incredibilem mihi semper voluptatem creat. Neque umquam haec satis reminiscor, numquam, ut par est, digne celebro et extollo. O utinam ea mihi frui licuisset felicitate, qua illi gaudent, quorum Parentum vita ad extremam usque senectutem producitur: quibusque hoc insuper beneficium conceditur, ut aliquam saltem, qualemcumque tandem pro hisce Parentum amoris testimoniis gratiam iis et habere, et referre possint! Quam vehementer illo tempore me afflixerit mors ista dilectissimi Patris, non opus est, ut Tibi repetam: hoc vero reticere nequeo, illam me dolore fere fracturam fuisse, nisi Mater altera mihi superfuisset. Hunc enim dolorem Haec mitigavit, et ardens, quo semper flagro, Illius desiderium, semper quoque, quantum potuit, lenire et restituere studuit.

Haec vero saepenumero cogitanti, mihi simul ultro in animum recurris, Vir amantissime! Nam non modo me discipulum olim excepisti, ut illi solent, qui optimi magistri officio funguntur; non modo ut illi, qui suis alumnis exquisitam doctrinam tradunt, et honestatis elegantiaeque sensibus eos imbuunt; sed et plura Tibi accepta refero: Te usus sum et utor etiam nunc monitore, vitae duce, integro amico, ad me audiendum, et consolandum, mihi succurrendum, et auxiliandum paratissimo. Memini, neque umquam meminisse desinam sermones, Tecum habitos, quibus nihil suavius, nihil jucundius censeo.

Qua

Qua opportunitate quoties praesentia narravi, quoties praeterita recolui! Atque de his si quando sermo fiebat, sponte in mentem revocabatur Bakii Tui, Viri Insignis, memoria: cujus utrum familiaritati, an disciplinae, plus debeam, nescio. Casu nimirum inopinato summa mihi contigit felicitas, ut Ipsius cum privata, tum publica institutione per biennium fruerer, quae ab omnibus, quotquot Virum cognoverunt, eleganter eruditum, et vero illo antiquitatis sensu imbutum, semper, et numquam satis, celebrari solet, ut, quod exinde non majores fructus ipse perceperim, vehementer doleam.

Antea alios haud raro dicentes audivi, jucundissimam vitae partem tempore, in Academia peracto, contineri: hoc oblectamenta praebere innumera; quibus si studia indefessa accedant, delicias eximias, cum nullis aliis voluptatibus comparandas, hac aetate percipi. Eventus me non fefellit. Studiorum ardor, a Te, reliquisque Praeceptoribus excitatus, viam munivit, et effecit, ut iis disciplinis, quas antea amare didiceram, aliquam pro meis viribus operam impenderem. Dulci conjunctissimorum Amicorum consortio, suavis Virorum nonnullorum, doctrina excellentium, consuetudo vitam non tantum, ut solet, jucundam reddiderunt, verum hunc quoque amorem foverunt, auxerunt, incitarunt.

Quos quum commemoro, Praeceptores, quibus cum in Literarum, tum in Theologiae studiis usus sum, imprimis celebrari merentur: qui quinam qualesque sint, Tibi referre, supervacaneum est. Sunt illi Tibi notissimi; neque facile quemquam, vel mediocriter doctum, latent clara illa Nomina, quae singula disciplinis, quas tuentur, eximium sunt ornamentum, ac Leidensi Academiae nostraeque Patriae insigne decus afferunt. Quid Tibi repetam beneficia, ab Illis in me collata, auxilia, quibus studia juvarunt, aliaque id generis permulta? Saepius enim haec Tecum communicavi, omniumque, Theologiae, ne reliquos nominem, Professorum, et Clarissimi Promotoris, singularem benignitatem significavi.

Multos, qui ex scholis, in quibus Graecorum et Romanorum scripta explicantur, ad Theologiam transierunt, non raro deterruit austera hujus disciplinae facies. Tantum abest, ut hoc tempore et in hac Academia istiusmodi gravissimae Doctrinae tractandae ratio obtineat, ut illi, qui Literis humanioribus penitus imbuti sunt, ipsi totos se ei tradere non dubitent, cum probe sciant, librorum, ex quibus illae Doctrinae petendae sunt, explicationem Literarum studio revera esse accensendam. Alliciuntur illi, et tamquam sponte invitantur ad libros eos legendos, diurnaque manu terendos, quotquot in Voorstii, Viri Summi, scholas ventitant. Neque aliter fieri potest, quin Talis Vir tanta tam recondita tamque exquisita, qua praeditus est, doctrina, cursum levem reddat. Asperam, quae ad germanam eorum librorum interpretationem ducit, viam planam fieri et facilem, si Eum Ducem sequaris, ipse sum expertus. In me docendo Vir Summus multum operae ipse collocavit, atque insigni favore et amicitia me prosequens, nullis pepercit monitis, ut ad majorem in hacce disciplina praestantiam me adduceret. Faxit Deus, ut

Se-

Senex Venerandus principem, quem inter Theologos sibi vindicavit, locum quam diutissime vivus obtineat, et sic verae humanitatis causae consulere, eamque tueri pergat.

Theologiae, de qua dixi, pars cum N. T., tum et Hebr. Cod. interpretatione continetur. Utriusque voluminis tractatio tam arcto vinculo connexa est, ut, nisi illud cum hoc conjungatur, multa in Hebr. Cod., ex N. T. illustranda, impedita maneant; Hebraeis vero neglectis, N. T. minime explicari possit. Optimi quique horum librorum Interpretes hoc suo ipsi exemplo comprobarunt, in his Cl. Voorstius, qui discipulis suis illud continuo inculcare, et datis speciminibus ostendere solet. Itaque intelligitur, quantopere gratulandum sit nostrae Academiae, quam duo Celeberrimi Linguarum Orientalium Antistites ornant. Alter eorum Palmius, cum in Tuo, et in meo animo locum tenet, ut de Eo cogitantes ac loquentes nobis numquam satis indulgeamus; sive magnam reputamus nominis celebritatem, quam ubique adeptus est, sive ipsum Virum, in vita quotidiana elegantissime humanissimeque versantem, in mentem revocamus. Ille omni, mea certe laude tanto superior est, quanto praeclarius ipse sibi monumentum in scriptis suis condidit. Ipsi, si quos ego, in Hebr. Cod. explicatione, aliisque disciplinis, quibus publicum Concionatorem instructum esse oportet, progressus fecerim, illos, inquam, huic Illustri Viro acceptos refero; quem audivisse, cujusque et publica et privata institutione usum esse, summis bonis omnes annumerant. Et ego quantum ei debeam, gratus recordor, dubius, utra magis mihi profuerit, benignitasne Ejus et consuetudo familiaris, an doctrina elegans et docendi ratio, quam, si quam aliam, Veteres sine dubio *Divinam* dixissent.

Sunt fortasse, qui juvenem, narrantem se talia a Praeceptoribus beneficia accepisse, inanem gloriolam jactare, contendant. Attamen haec quam vera sint, Ipse cognovisti. Quae cum saepius Tecum communicarem, ab Hamakero, Unico inter Doctores Viro, non incipere non potui. Tum mihi deërant, et nunc etiam desunt verba, quibus insignem, quam mihi erudiendo impendit, operam, ut par est, celebrem: quae qualis et quanta sit, a nemine, nisi ipsius discipulo, credi potest. Cui vero haec fortuna contigit, beatissima sorte fruitur, quae, quo longius in Ipsius disciplina versaris, eo majora in dies incrementa capit. Omnes, Nostrates, exterae etiam Nationes, Virum ex scriptis, longe lateque propagatis, cognoverunt: at tantum gloriam, quam sibi paravit, noverunt: miram vero laudem, quam a suis alumnis meretur, non noverunt. Quod qui persentiscere cupiunt, hanc urbem ut adeant, quaeso: Virum publice et privatim docentem audiant, cum intueantur difficillima facile explicantem, rem aliis desperatam expedientem, omnibus omnia rogantibus respondentem. Mirentur immensam doctrinae copiam, fontis instar perennis fluentem, incredibilem memoriam, acerrimum acutumque ingenium. Quid! illi in Ejus disciplinam transeant: quod quum fecerint, ipsi experientur, quali Doctore, quantoque Amico discipuli Illo utantur, et mihi quoque uti contigerit.

At quamvis lubens, in dilecto hoc argumento pergerem, mihi tamen nunc, ne longus fiam, temperandum esse animadverto. Huncce nimirum libellum ad Te mittentem, quaedam de ejus ortu, consilio, et ratione me dicere oportet.

Non sine causa in hujus Prophetae librum tractandum incidi. Mos, tibi non ignotus, in hac Academia, ubi Literae quaecumque, in his etiam Orientales laete florent, obtinet, ut multi, inita societate, amici cum amicis certis temporibus conveniant ad eas, quas tractent, disciplinas conjunctim excolendas. In his, ut dicuntur, collegiis illud, quod Hebraicarum Literarum studio consecratum, et nomine בראשית insignitum est, plurimis supereminet. Permulta, quae ad has Literas pertinent, in eo tractare solemus: in quibus Prophetarum scripta non intacta relinquuntur. In hoc suavissimo Amicorum circulo, cujus oblivio me numquam capiet, cuidam Minorum Prophetarum, exercitationis causa, explicando operam navandi primum consilium agitavi. Ab Hosea, omnium primo, incepi. Quum vero, quo arctiorem cum eo necessitudinem contraherem, eo majores difficultates offenderem, hujus interpretationem alteri relinquere, vel saltem in aliud tempus referre malui. Transii, lecto Joële, ad Amosi librum; qui, licet mihi initio Hoseae vaticiniis explicatu facilior videretur, majorem tamen in dies curam et diligentiam postulabat. Lectionem igitur iterum iterumque repetii. Quod quum facerem, si umquam antea, tum profecto verissima esse sensi, quae Wyttenbachius, Vir Immortalis, de illa repetitione, praeclare omnino monuerat. Alios praeterea Prophetas, eosque imprimis, qui Amosi aequales censentur, relegi. Jesajam evolventi, gratissimus mihi erat commentarius Gesenii, Viri in nostra disciplina Consularis; cujus nomen unusquisque, qui Cod. Hebr. recte interpretari cupit, non nisi summa cum reverentia enuntiat. Quo majorem voluptatem in hujus Viri scriptis legendis percepi, eo minorem attulerunt nonnullorum Interpretum, qui de Amoso scripserunt, opera: quae tamen perlustrari oportebat. Quaedam ex iis numquam forte accepissem, nisi amica Virorum Doctissimorum ope ad me delata fuissent, quibus idcirco gratias me agere et habere, par est. Alia adhuc desidero: in his nova est editio Scholiorum Cl. Rosenmulleri in Prophetas Minores, et Cl. Ackermanni in Amosum Commentarius; quos libros quamquam anno proximo jam in lucem prodierunt, Librariorum culpa nondum nactus sum.

Interea casu incidi in J. J. Schultensii Commentarium, qui, quum in exemplo, quo utor, in cap. 5: 15 desinat, num ab Auctore absolutus sit, nescio. Praeterea duos alios, etiam ineditos, eosque fere integros, acquisivi. Alter est N. G. Schroederi, alter J. H. Verschuirii. Diu expetieram et frustra quaesiveram exquisitam Palmii Annotationem, quam antea Vir Clarissimus discipulis praelegerat. Sed vix aut ne vix quidem meam sollicitudinem animadverterat, quum statim librum, ipsius manu conscriptum, humanissime mihi tradidit, simul concedens, ut suas animadversiones, quotiescumque vellem, in meum usum converterem. Datam veniam gratissimus accepi, eaque lubentissime utar in

Com-

Commentario componendo, probe sciens, nomine Viri Ejusmodi interpretationi addito, haud parvum pretium ei accessurum.

His subsidiis instructus, susceptum opus persecutus sum. Per longum tempus exspectavi eam editionis Holmesianae partem, quae Minores Prophetas exhiberet: qua collata, plurimum lucri ad meum opus perfectius reddendum factum iri, suspicabar, reputans quanta incrementa Critica V. T., Gr. Cod. imprimis ex reliquis, qui jam editi erant, libris acceperit. Verum quum, multis ad finem perductis, editionem illam adhuc ad librum Jesajae tantum esse continuatam, audivissem, de causa mea desperare coepi. Haec dolens, summa de improviso laetitia affectus sum. Affertur nuntius, alios libros, quin et Prophetas Minores in lucem prodiisse. Hos, brevi postea in Academiae Bibliothecam indeque Voorstii alacritate ad me delatos, statim inspexi, percurri, consului, et tot tantaque bona huic editioni inesse animadverti, ut officio meo parum satisfecissem, nisi iis ad Commentarium ornandum usus fuissem. Huic autem Commentario dissertationem *de ipso Amoso, ejusque scriptis, ac Veteribus eorum Interpretibus* praemittendam putavi. Temporum angustiis coactus, primam partem, quae *de Auctore* exponit, nunc tantum edere potui: reliqua, si hoc tempus et occasio permittent, brevi daturus.

Haec sunt, quae hoc libello, ad Te misso, continentur: qui ut a Te benevole recipiatur, non est quod dubitem. Neque vereor, ne a Te repudietur, quoniam sonis refertus est, quos Graeci barbaros vocassent; hoc enim scio, Te, Graecorum illorum licet sensibus imbutum, horum Romanorumque non modo, sed aliarum etiam Gentium scriptis, Veterum Literarum studium comprehendi censere, Teque Orientalium linguis, in quas ut toto pectore incumberem, saepius me incitasti, suum, idque haud parvum pretium tribuere. Verum illud extimesco, ne aures Tuas excultas exercitasque non semel offendat sermo latinus, qui quantopere a germana Romanorum, et a Tua etiam scribendi ratione discedat, ipse sentio. Unum tamen, quo excusem, habeo: linguas Orientales a lingua Latina tantopere diversas esse, ut, si, brevitati consulens, singula illorum verba singulis Latinis reddere velis, saepe in barbaras voces, barbaramque dictionem incurras: quo facto, perversa contrahitur consuetudo, quae quamquam non omnem, aliquam tamen veniam sibi exigit. Illud Hieronymus jam perspexit: » Obsecro (inquit in fine Comm. in Hagg.) » te, lector, ut ignoscas celeri sermone dictanti, nec requiras eloquii venustatem, *quam multo tempore Hebraeae linguae studio perdidi.*

Praeterea, ut alia permulta ignoscas, rogo. Insunt enim huic libello non pauca, ne vitia minora referam, quae melius exponi accuratiusque tractari; alia, quae brevius dici, alia de quibus uberius disseri; alia etiam, quae alium locum occupare debuerant. Si quid boni reperias, illud tribue egregiae, quae mihi contigit, institutioni; Palmii insuper et Hamakeri consiliis, quibus in hoc libello componendo et expoliendo usus sum. Si quid denique commendationis et ornamenti ei deërit, id sine dubio huic accedet exquisitis Ha-

ma-

makeri animadversionibus, quas me rogante, Annotationi subjicere non dubitavit.

Ac nunc epistolae finis est imponendus. Quod antequam facio, unum hoc, quod Te, Vir Doctissime, rogem, superest. Ad finem studiorum in Academia perveni: dilectissimos Praeceptores, integerrimosque Amicos mox relinquam: munus, ad quod gerendum me parare conatus sum, brevi fortasse adibo. Omnes eadem benevolentia me in posterum prosecuturos esse spero, et etiam confido. Idem a Te quoque mihi exspectare licet. Te igitur oro, ut me amare pergas. Tibi me meaque studia iterum iterumque commendo, idque efficere studebo, ut illa amicitia, qua me adhuc dignum censuisti, perpetuo me dignum praestem. Vale. Scripsi Lugduni Batavorum die XVIII Junii MDCCCXXVIII.

DISPUTATIO

D I S P U T A T I O.

D E

A M O S O.

§. 1.

Planities Judaeae. — Thekoa.

A meridie Hierosolymorum campus patet latissimus, qui, Arabiae desertis junctus, ad Mare Rubrum et Sinum Persicum usque procurrit. Ab Hebraeis vocabatur הָעֲרָבָה, nomine a *sterilitate* deducto. Est tractus aridus et vastus. Magnus est ibi numerus animalium ferorum, quibus haec loca in perpetuam habitationem concessa videntur. Per hanc planitiem continui ac nudi montes extenduntur, qui, quo magis in illam penetres, eo asperiores fiunt, et praecipitiis praeruptisque saxis horridiorem speciem prae se ferunt. Cavae rupes disjectae jacent et gravissimarum terrae commotionum, eversionumque vestigia ostendunt (1). Antra feris istis tuta sunt hospitia. Homines, siquidem reperiantur, loci tristitiam augent et terram incultam etiam incultiorem reddunt. Metus peregrinatorem retinet, quominus speluncas, latissimas interdum, intret. Nescit, utrum ab iis frequententur, qui, suis sedibus expulsi, odium tyranni effugere vitaeque suae consulere conentur (2), an a latronum agmine, catervis insidias struente, occupatae sint (3).

At montes illi, quantumvis asperi et rudes, vallibus interdum distinguuntur majoribus, quae tractum illum mirifice exhilarant. Agri, torrentibus large rigati, prata pratis juncta, horti perpetui, millenis floribus consiti, laetum illic praebent adspectum, oculosque saepius demulcent. Conspiciuntur nonnumquam frumenta, vineae, olivae, mora, ficus, arbores punicae, alia (4). Pecoribus tamen pascendis loca illa aptiora erant, quam agriculturae excolendae. Nullus fere Palaestinae tractus illi operi tam idoneus fuit; quam ob causam illum Hebraei vocabant מִדְבַּר יְהוּדָה (5). Innumeris gregibus, qui longe lateque vagantur, tecta sunt arva. Pastores, remoti ab urbium strepitu, solitariam vitam agunt, pecudumque cura noctes diesque unice occupati sunt. Placida, qua ceteroquin fruuntur, quies saepius turbatur. Interdum Davidis instar

 cum

cum leonibus, interdum cum serpentibus aliisque bestiis ferocibus, interdum cum latronibus acriter iis pugnandum est. Sic mores eorum, parum politi, etiam ferociores redduntur. Sensus sublimiores, in animis eorum excitatos, juvant loca aspera, aër fervidus, coelum serenum, stellarum adspectus.

Nonnumquam pastores antra pratis vicina subeunt, ut noctem in iis cum familia et gregibus transigant, quibus ad sitim explendam abunde sufficiunt fontes, in illis reperti, vel in vicinitate siti (6): qui si quando desiderentur, aquae inopiam puteis fodiendis mederi student, quae Bersebae nominis origo fuit. Nec mirum est, pleraque nomina oppidorum, quae in hac Palaestinae parte inveniuntur, vitae pastoralis indicia referre, quum plura a pastoribus forte condita fuerint. Quaedam ex iis in Hebraeo Codice enumerantur, quorum ditio ab illa urbe, quae proxime huic adjacebat, nomen accepit (7). Urbes notiores erant Maon, Carmel (8), Bethlehem, Ethan (9), aliae, quarum duas posteriores, aliasque insuper, Rehabeamus, regno potitus, munivit (2 Chr. 11: 6, 7.) In his commemoratur etiam urbs non ignobilis, Thekoa, quae circumjacenti quoque regioni nomen dederat (10).

Haec urbs duodecim milliaria, id est, quinque fere horarum iter Hierosolymis (Hieron. ad Jer. 6: 1.), duarum fere Bethlehemo aberat. Ex montis vertice, in quo jacebat, latissimus erat in Mare Mortuum, in vicinum Bethlehemum, in montem, (a latere septentrionali), *Bethuliam* hodie dictum, aliasque finitimas terras, prospectus. Montem illum, in quo sita est Thekoa, alii minores cingunt. Versus meridiem vallis profunda se extendit. Infra montis verticem spelunca, cui fons inest, reperitur. Sic Pocockius, qui ipse has regiones peragravit, loci descriptionem adumbrat (Reize door het Oosten II. p. 72 seqq.). Vallis fertilitatem veteres extollunt. Judaei (in Mischna, l. l. a Rel. Palaest. II. p. 1029) perhibent, hanc urbem *principatum in oleo tenuisse*. Vineae lacte crescebant (11). Mel erat praestantissimum et in proverbium abierat (12). Aquis locus abundabat. Flumine, vel rivulo, rigabatur, cujus mentio fit aetate bellorum Sacrorum (13). Terrae foecunditas causa erat, quare magnus templorum coenobiorumque numerus tunc hac in regione conditus fuerit; quorum alia nunc devastata jacent, alia supersunt. Splendidorum aedificiorum reliquiae a Pocockio (l. l.), aliisque (vid. Cl. Gesenius in voce), repertae, omnes testantur hanc urbem ejusque ditionem antiquitus valde floruisse.

Si mons Thekoae tam altus sit, quam recentiores perhibent, omnino laudanda est Rehabeami, urbem hanc munientis, prudentia. Ceterum de ea perraro in Hebr. Cod. fit

fit mentio. Nobilis facta est ob sapientem illam mulierem, quam Joabus ad Davidem misit (2 Sam. 14: 2.). Davidis, qui, antequam rex erat creatus, aliquamdiu in hoc tractu commoratus fuerat, partes nonnulli ex Thekoitis secuti sunt. Inter heroes saltem numeratur *Ira*, *filius Ikkesi*, *Thekoita* (2 Sam. 23: 26. 1 Chr. 11: 28.), 24000 militum praefectus (1 Chr. 27: 9.). Post captivitatem Babylonicam Thekoitae manum admoverunt Hierosolymis restituendis (Neh. 3: 5, 27.). Willermus Tyrius (de bello Sacro VIII: 1.) contendit, hic natum esse Habakukum, quem alii, in his auctor *de vitis Prophetarum* ex Bethsura, urbe vicina, ortum perhibent (Rel. l. l. II, p. 658.) *Urbs* antiqua, quam Josephus urbibus munitis et magnis annumerat (Antt. VIII. 10. 1. et IX: 1. 3), ipsius aetate *vicus* fuit (in vita c. 75. de bello Jud. IV: 9. 5.), cujus meminerunt etiam Eusebius, Cyrillus Alexandrinus (14) et Hieronymus, *illum*, ut dicit (in comm. ad Jer. 6: 1. et in prologo ad Am.) *quotidie oculis cernens.*

Alterius ejusdem nominis urbis nulla, ut scio, fit mentio in Hebraeo Codice. Auctor de vitis Prophetarum commemorat in Amosi vita urbem Thekoam, in *tribu Sebulonis.* At hic in iis, quae de Prophetarum patria tradidit, plus semel lapsus est, ejusque h. l. error forte manavit ex vocabulorum *συμεὼν* et *ζαβουλὼν* in Codicibus permutatione. Praeterea, quoniam tractus Judaeae meridionalis a parte Simeonitarum tribus occupabatur, facile aliquis urbem illam, licet proprie esset tribus Judae, iis tribuere potuit. Recentiores Judaei ejusdem nominis urbem *in tribu Aseri* sitam fuisse contendunt. Sed quas sententiae suae rationes attulit Abarbenelus, imbecilliores sunt, quam ut aliquam probandi vim habeant. Eas exposuit Meijer. ad librum Seder Olam (p. 998). Eamdem atque Abarbenelus, sententiam professus est Kimchius, docens, Thekoam *esse urbem magnam in ditione τῶν* בני אשר. Sunt, qui putent, h. l. legendum esse אשר pro אשחור, coll. 1 Chr. 2. 24. Probabilius est Kimchium, praecipue quoniam Judaeorum recentiorum in rebus geographicis non magna est auctoritas, deceptum fuisse depravata hujus loci lectione. Nomen אשחור, defective scriptum, facillime in אשר commutari potuit, si ח vel in ה abierit, vel non pronuntiata fuerit, cujus rei specimina nobis dedit editio Holm. ad h. l. in lectionibus *ἀσσὼρ*, *ἀσσὸρ* et *ἀσσούρ*. Aschur dicitur *pater* (id est, *qui incolis frequentavit*) urbis ejusdem, de qua supra diximus, quippe quae v. 42, 46, 50, et seq., cum urbibus vicinis recensetur. Minime autem nos moratur Cyrillus Alex., qui (l. l.) docet, Thekoam non urbem esse in *Judaeorum* sed in *Ephraimitarum* terra. Argumentum enim petit exinde, quod Amosus Bethele commoratus sit.

§. 2.

Amosi patria.

Ex hoc tractu, et ex hac urbe Amosus, Propheta, erat oriundus. In quibus describendis diutius versati sumus, quoniam accuratior loci, ubi natus est, notitia haud parum facit ad dicta nonnulla, scriptis ejus inserta, melius intelligenda. Etenim prae se ferunt virum eumque Judaeum ea in regione natum, educatum, conformatum (vid. P. II. § 6).

Fuerunt tamen nonnulli, qui contenderent, eum fuisse *Israelitam*. Cyrilli Alexandrini, auctoris libri de vitis Prophetarum, Kimchii, Abarbeneli sententias, eorumque erroris causam probabilem explicuimus. Inprimis inquiri meretur in Harenbergii dubia, quae in introductione l. l. p. 45 seqq. et p. 62. exposuit. Quorum alterum est, eum, quum Prophetae munere fungeretur, pecoribus pascendis in regione, Israelitarum, non Judaeorum regi subjecta, operam dare non desiisse. Alterum, eum vixisse Sycaminis, qui in Thekoae, urbis Judae, vicinitate non proveniebant. Quare coactus sit *Amosi patriam ad Carmelum quaerere, eamque versus littus Oceani* (Maris Mediterranei), *definire* (p. 48). Huc redit ejus disputatio, quam copiosissime probare conatus est. Argumenta, quae ex supra laudatorum interpretum testimoniis petiit, mittimus, eique lubenter concedimus, fieri posse, ut aliae urbes idem nomen gesserint. Minus tamen accurate ex collatis Am. 1: 1 et 7: 10 — 14. efficit, nostrum *perpetuo* inter pastores Thekoenses degisse; licet verum sit, eum illo loco *pastorem Thekoensem* vocari, hoc tamquam *in Regno Israelis* versantem proponi. Commorabatur enim tunc temporis Bethele, quae sita erat in utriusque regni finibus, adeoque pastoribus, in eorum vicinia cum grege suo vagantibus, opportuna jacebat. Hi enim loca, pasturae apta, obibant, eaque passim relinquebant, et cum aliis subinde tractibus permutabant. Ne quis vero miretur, civem regni Judae, eumque pastorem, in fines regni Israelis transiisse, hoc teneatur, hac aetate minus curiose servari solere definitionem terminorum, qui licet tunc forte in Hebraeorum terra constituti fuerint, nulla tamen est causa, quare talis migratio hoc tempore, quum pax utriusque regni incolas, una eademque origine cognatos, conciliasset, fieri non potuerit. Praeterea latet causa, cur Amosus in regnum Israelis profectus sit. Certe inde non expulsus est, nisi postquam, motis ex sacerdotis opinione turbis, regis auctoritatem infringe-

re,

re, regnumque evertere visus fuerat. Si contra contendas, quod forte melius convenit huic temporum rationi, Amosum, grege relicto, Bethelem petivisse, et 7 : 14. de vitae genere ante acto intelligas, res multo etiam est facilior. Palaestina enim, et hujus urbis vicinia tunc incolis ita frequentatae fuisse videntur, ut ejusmodi migratio molestiis obnoxia fuerit. Utrumcumque vero recipias, multo melius et rectius intelliguntur ejusdem dicta (Am. 7 : 12) *fuge tibi in terram Judae, ibique vaticinia vende.*

De Sycomoris, vel Sycaminis, in Bethelis vicinia repertis, nusquam, quantum scio, diserta fit mentio, quae ceteroquin alterum illud statim refutaret. Videndum igitur, num recte dixerit Harenbergius, in Judae deserto illos fructus non crescere, quibus Amosus sibi victum parabat. Affert pro sua sententia locum Hieronymi, qui, quoniam aliquamdiu Bethlehemi degit, et tractum Thekoae bene noverat, optimus omnium in tali quaestione dirimenda judex esse videtur. Hic igitur (in comment. ad Am. 7 : 14.) voc. Hebr. a plerisque interpretibus antiquis per συκάμινα redditum, vertit *rubos vel mora.* « Nobis autem, inquit, quia solitudo, in qua morabatur Amos, « nullam hujusmodi (Sycaminum) gignit arborem, magis videtur *rubos* dicere, qui « afferunt *mora*, ac pastorum famem et penuriam consolantur." Eadem fere repetiit in epist. ad Paulinum, cujus hoc initium est: *Frater Ambrosius* cet. Praeterea Abd'ollatifus, refert Sycomorum *frequentissimam* esse in Aegypto: earum vero *nonnullas* a se repertas esse *Askalone* (cujus soli natura est prorsus eadem, atque Thekoae), et *in maritimis Syriae oris* (vid. Cl. Sacyus relation de l'Egypte. p. 19). Quae omnia Harenbergii sententiam confirmare videntur. At observandum est, eum hoc tantum egisse, ut probaret *siliquas*, quas easdem esse suspicatur ac *Sycamina*, in montis *Carmeli*, non in urbis Bethelis vicinia, crescere. Accedit, Hieronymum, fructum illum in Thekoae vicinitate reperiri negantem, nequaquam eam habere auctoritatem, ut, etiamsi alterum illud Arabici scriptoris, seculo duodecimo viventis, testimonium adjungas, dirimat omnem quaestionem. Alii alia ratione difficultatem tollere tentarunt. Nemo, cui non prius, certis indiciis prolatis, persuasum sit, arborem illam in ditione Bethelis inventam fuisse, fidem habiturus est Dahlio, ita Amosi verba explicanti, ac si dixisset, *se nunc Bethele Sycomoris vesci solitum fuisse* (in comm. ad. h. l. p. 221). Magis placebit, credo, Cl. Rosenmulleri sententia, contendentis (ad. h. l.), Amosum *longius ex campestribus Sycomora petiisse, aut in campestria, in quibus illae arbores frequentes erant, interdum pecora egisse.* Sunt praeterea alii forte, qui dicant Hieronymum erasse. Fatendum est, eum sibi non sem-

semper constitisse, verbi gratia, quando ipse locis nonnullis voc. שקמים reddat *Sycomoros* ut h. l. (in versione); quare in recentioribus Vulgati editionibus interdum *moros* est rescriptum, ut Ps. 77: 47. Sed affirmare non ausim, eum deceptum fuisse in re ejusmodi, de qua non fando audiverat, verum quam oculis ipse haud semel viderat. Tot insuper tantaque dedit in talibus accurate definiendis et diligenter investigandis specimina, quae cuique, vel leviter in scriptis ipsius versato, statim in oculos incurrunt, ut audaciae temeritatisque suspicionem non effugiat is, qui ejus generis errorem, de quo nihil certi constat, ipsi imputare velit. Nihilominus fuerunt inter recentiores, qui Hieronymi in dignoscendis plantis peritiam in dubium vocaverint. Bodaeus (ap. H. E. Warnekros. hist. Nat. Sycomori in Eichh. Repert. fur bibl. und morgenl. litt. XI. p. 233). « *non sunt*, inquit, *vera mora*, *quae in rubo nascuntur.* « *Planta enim plane diversa.*" Non tamen opus est; ut huc confugiamus. Omnes enim norunt, quasdam arbores, quae antea cuidam regioni propriae erant, ibique maximo numero reperiebantur, deinde variis de causis rariores factas esse. Si fides habenda sit itineratoribus, cedri, quarum antiquitus in Libano ingens erat multitudo, hodie ibidem vix, multo certe rarius, quam antea (vid. Burkh. reize I. p. 62 seq. Cl. Gesen. ad h. l. p. 491). conspiciuntur. Nemini etiam latent bellorum gravissimorum calamitates, quibus terra Palaestinae ante aetatem Hieronymi et deinceps vexata fuit. Semper fere erat belli theatrum. Populorum Orientalium primum, dein Occidentalium, agminibus immensis irruentium, invasionibus patebat. Qua opportunitate id ante omnia agebant, ut arbores succiderent, easque maxime, quae ad machinas bellicas construendas aptae essent (15). Arbor enim est procera et tantae nonnumquam molis esse dicitur, ut tres homines eam vix circumplecti possint. Ligni materies est dura et firma, et solis, inprimis aquae vim, temporumque, quin aliquot seculorum, injurias perfert (H. E. Warnekros l. l. 236, 245 seq. 267 seqq.). Itaque Graeci, Aegyptii praecipue Sycomoris utebantur in exstruendis navigiis, portis, item cistis, quibus mortuorum corpora imponerent, aliisque rebus, quam plurimis, molis etiam maximae (vid. Cl. Sacyus l. l. p. 55 et 57. Justi. Vir Cl. in comm. in Amos. p. 219.): Hebraei, in aedificandis domibus et Jesajae (Jes. 9: 9.) et Hieronymi (ad h. l.) ac Theodoreti aetate: ἐκ τῶν ξύλων, inquit, (ad h. l.) τῶν τοιούτων ὀροφῶσι τὰς οἰκίας (vid. Cl. Gesen. ad locum Jesajae). Quo facto, intelligitur, quare Davides peculiarem curam impenderet Sycomoris colendis. Fertur nimirum 1 Chr. 27: 28 virum quemdam praeposuisse על הזיתים והשקמים *ficibus et Sycomoris*, cujus hoc forte munus erat, ut Judaeos in-

inferioris ordinis, quibus harum arborum cultura demandata erat, regeret. Neque ab Aegyptiorum magistratibus haec negligitur (Warnekros. l. l. p. 251, 254. seq.), quibus magnum etiam censum praebet. Bene igitur observat Hieronymus ad Ps. 77: 47, *Sycomoros grandine devastatas Aegyptiis veram, eamque gravem plagam fuisse.*

Quae cum ita sint, verosimile est, Romanos et alios deinde populos eas subinde succidisse, quibus uterentur ad bellica instrumenda sibi paranda, quo facilius urbium moenia everterent. Quod si saepius deinceps factum sit, causa est in promtu, quare Hieronymi aetate Sycomorus iis in locis desideraretur, rarissimeque ab Abd'ollatifo in Palaestina *iis in tractibus*, quos peragravit, inveniretur. Quoniam autem hic diu Hierosolymis degit, verosimile est, eum Bethlehemi vicinitatem etiam adiisse.

Sycomorus in campis praecipue viget. Docent hoc et Hieronymus (ad Am. 7: 14.) aliique. *Signum*, sic legitur in Gemara Hierosolymitana (fol. 38. 4.) *montium sunt fraxini, vallium palmae, amnium cannae, camporum Sycomori.* Hanc ob causam Galilaea superior nullas, inferior multas ferebat (tractatus Scheviith IX. §. 2. ap. Warnekros. l. l. p. 231 seq.) Si ergo demonstrari possit, Sycomorum antiquitus frequentissimam atque etiam in *Judaeae planitie*, in locis Thecoae *vicinis*, ab eaque non longo intervallo separatis, repertam fuisse, nihil superest, quod ex Harenbergii sententia, vulgari de patria Amosi sententiae obmoveri possit. Locus laudatus, 1 Chr. 27: 28.) hoc jam diserte probat. Ibi docemur crescere in vallibus regionibusque depressis, quae montibus opponuntur, שקמים אשר בשפלה. Cui jungendus est locus 1 Reg. 10: 27, qui verbis iisdem repetitur 2 Chr. 1: 15. et 9: 27, ubi Salomo argentum in urbe Hierosolymorum tam frequens reddidisse traditur, quantus esset lapidum numerus, cedrosque Sycomororum multitudini aequasse. Iis autem tractibus, qui illo nomine nuncupantur, dictam planitiem procul dubio annumerandam esse, nemo non videt. Hinc Chaldaeus interpres, (Am. 7: 14.) respiciens, ut videtur, ad urbem Thekoae (Am. 1: 1), sic Amosum loquentem facit ושקמין אית לי בשפלתא. Neque hoc aliorum testimoniis repuguat. Lucas nempe, hujus interpretis fere aequalis, non tantum indicat eas in Palaestina crescere (17: 4.) verum etiam Zacchaeum, prope Hierichuntem, in συκομορέαν adscendisse refert (19: 4). Etiam haec urbs ἵδρυται ἐν πεδίῳ (Joseph. de B. J. IV. 8. 2.), et cuique notae sunt ערבות, *planities*, urbi vicinae, quarum in Cod. Hebr. multifariam sermo fit (v. c. 2 Reg. 25: 5.). Vocantur illae, quoniam montium radicibus adjacent, בקעת יריחו, *terra inferiör et plana Hierichun-*

chuntis Deut. 34. 5. Augustini, Hieronymi aequalis, aetate Sycomori *in Judaea admodum frequentes* fuerunt (Warnekros. l. l. p. 232.) Etiam Theodoreto vivente: *τούτων* (*συκαμίνων*), ait (ad Jes. 9: 10. ed. Schulz. II, 1. p. 238.), *ἡ Παλαιστίνη πεπλήρωται.* Idem (ad Am. 7: 14) *δένδρου*, inquit, *δὲ εἶδος ἔστιν ἡ συκόμορος ἐν τῇ Παλαιστίνῃ*, et Lucae 19: 4. hujus mentione injecta, sic pergit: *ἤκουσα δὲ τινὸς, τὰ ἐκεῖθεν διηγουμένου, ὡς ὁ τούτων καρπὸς, οὐ πεπαίνεται, μὴ πρότερον τομήν τινὰ βλαχεῖαν δεξάμενος.* Haec arbor, etiamsi deinde rarior facta est, adhuc tamen in Palaestina crescit. Testibus Francisco Ferdinando de Troilo, aliisque (vid. Harenberg. l. l. p. 43.) *abundabat Sycaminis.* Hasselquist. (reize door Palaest. I. p. 175.) perhibet eas in Hierichuntis quidem ditione non amplius cerni, in Judaea vero versus mare superesse.

Quamvis igitur Sycomorus Hieronymi aetate apud Thekoam non provenerit, ibique hodie fortasse non reperiatur, verosimile est, eam certe in planitie illa, qua hujus urbis ditione undique fere cingitur, crevisse, vel etiam nunc crescere. Quae si tenentur, nullum superest argumentum, quo Harenbergii sententia defendatur. Quam qui rejiciunt, ne hac quidem disputatione egent, si modo ingeniosissimam Palmii, Viri Cl. conjecturam amplectuntur, loquendi formulam *Sycomoris vesci*, esse dictionem proverbialem, quae *tenui victu contentum esse* significet.

§. 5.

De nomine Amosi.

Amosi nomen Hebraice scribitur עָמוֹס. Graeci interpretes illud reddunt per *ἀμὼς*, quod etiam nomini patris Jesajae, אָמוֹץ, respondet. Arabs et Syrus discrimen inter utramque vocem melius observare potuerunt, hoc per اموص et ܐܡܘܨ, illud per عاموص et ܥܡܘܣ rescribentes. Elmacinus in hist. ante Moh. (Cod. MS. L. B.) nomen prophetae scribit عموص et غموض. In hoc tamen puncta tribuenda esse videntur librario, minus accurate Codicem describenti. Patres Graeci et Latini, cum quoniam nomen utrumque in versionibus suis non distincte redditum erat, tum quia ipsorum plerique Hebraica non callebant, Prophetam saepius cum patre Jesajae confuderunt. In his Clemens Alexandrinus, auctor libri *de vitis Prophetarum*, et libri *adscensionis Jesajae* (vid. Cl. Gesenii Comm. in Jes. II. einl. p. 4.), alii (apud Harenberg. Introductio in Am. p. 42.). Auctores Codicum Augustani et Florentini, qui-

quibus Schulzius in edendis Theodoreti operibus usus est, in eumdem ducti sunt errorem. More suo nominis explicationem addiderunt: *ἀμὼς ἑρμηνεύεται στερέωσις ἢ ἰσχύς.* secuti, ut videtur, vetus nominum propriorum lexidion, cujusmodi Eusebius et Hieronymus composuerunt. At Graeca eos fefellerunt, quum *hoc* interpretamentum ad nomen אמוץ esset referendum. Simili ratione deceptus est auctor collectaneorum, quae Cyrilli et Maximi nomine feruntur, et operibus Cyr. Alex. adjecta sunt (VI. p. 62. ed. Paris.): *ἀμμὼς* nimirum, quo Jesajae pater illic indicatur, per *λάου πόνον* redditur, quae, adhibitis, ex illius aevi consuetudine, עם et מסס, *perire*, sit interpretatio vocis עמוס. Eodem modo apud Eusebium, loco infra laudando, in Codice Regio *Amonis et Amosi* nominum explicationes conjunctae sunt. Melius Codex Barberinus nomen Amosi explicat per *ἀντίληψιν*, id est *susceptionem.*

Cyrillus tamen Alexandrinus (in prooem. ad Am.) et Hieronymus (ibid.) docuerunt utrumque nomen *Amosi* bene esse distinguendum. Cum iis facit quoque Theodoretus, qui, quamvis non disertis verbis hoc dixerit, eamdem sententiam sine dubio amplexus est.

Hieronymus (in prooem. ad Joel.) nomen Prophetae reddit per *βαστάζων*, *qui apud Latinos* portans *dicitur* (עָמֹס) et (prooem. in Am.) per *populum avulsum* (adhibitis עם *populus* et מסס *liquefieri*, *dissolvi*). Cum his conferri meretur Eusebii illud: *ὠμὼς, καρτερὸς, ἢ πιστὸς,* (אמון) *ἢ λαὸν ἀποσπῶν,* (ex versione Hieronymi) *Amos, fortis, sive robustus vel populus avulsus, s. populus avellens.* (ed. ex fragm. libri Nom. Hebr. in Cod. Regio. Hier. Opp. ed. Martianaei II. p. 114. cf. p. 53.) Hieronymus igitur *πιστὸς* vel non legit in Eusebii exemplo, vel potius vertit *ἰσχύς*. In prooemio ad Amos. idem dein Amosum vocat *impeditum sermone non scientia.* Reliqui doctores Christiani veteres hanc explicationem neglectam forte ignorarunt. Perperam enim Harenberg. (l. l. p. 61.) *fabulam*, inquit, *id redolet, quod Procopius* (in Octateucho p. 495.). *Amosum vocavit loquacem aut irritatorem.* Loco enim in eadem, qua hic usus est, editione, (Tigur. 1555.) collata, incidi in haec: *Amorrhaeus sonat loquax aut irritator.* Hieronymus illud, ut alia plura, a Judaeis magistris accepisse videtur. Rabbini nimirum dixerunt Amosum *balbum, non articulate loquentem.* Buxtorfius (in lexico Chald. Talm. et Rabb. in voce עמס) ejus denominationis mentionem fecit. « In Vajicra rabba, inquit, Sectione צי legitur: *quare* « *vocatur nomen ejus* עמוס? *Propterea quod erat* gravis lingua sua (עמוס בלשונו). »

Sub פִּלּוֹס (Graecum ψέλλος) aliorum Rabbinorum testimonia profert, de quibus etiam exposuerunt Drusius (biblia Critica IV. p. 6457.) ad h. l. et Carpzovius (introd. in V. T. III. p. 314 seq.). Hujus interpretationis origo petenda est cum ex *impedita* nominis *explicatione*, tum ex *instituta* Prophetarum inter se *comparatione*. Omnium suorum Prophetarum principem, Mosem, quoniam dixerat (Exod. 4: 10.) כבד פה וכבד לשון אנכי *gravis ore et gravis lingua sum*, Judaei vocarunt *balbum* (vid. Jarch. ad l. l. et Abarbenel. praef. in Ezech.). Hinc Moses, etiam in dialogo Philopatris, qui Luciano tribuitur, βλαδυγλωσσὸς appellatur. Jesaias (coll. Jes. 6: 5. טמא שפתים) et Jeremias (1: 4—9.) eodem loquelae vitio laborasse feruntur (vid. Hier. ad Jes. 6). A quo quare Amosum immunem statuerent, nulla iis ratio erat, imprimis, quoniam in nomine indicium adesse putabant, quod hanc opinionem vindicaret. Jarchius (ad Am. 7: 14.) nomen illud a Judaeis in contemtum Amoso datum fuisse contendit.

Habetis specimina nonnulla, qua ratione veteres et Judaeorum et Christianorum interpretes in nomine proprio explicando versati sint. Ex recentioribus alii aliter nomen expedire tentarunt. J. J. Schultensius (in Scholis ineditis ad Amos.), collato غمس hujus verbi propriam notionem fuisse existimat, *mergendi*, deinde *ad submersionem usque onerandi*. J. H. Verschuir (in Scholis ineditis ad h. l.). « Propheta. » inquit, « vocatur ita, quasi dicas *pressus gravi onere*. A parentibus forte sic ap-« pellatus est, quod in paupere et vili conditione fuerit natus et educatus, *gravi pau-« pertatis onere pressus*. » Quae cum prorsus incerta sint, et soli conjecturae auctoritati innitantur, potius acquiescimus in explicatione, quam Cl. Gesenius (in lexico) dedit, hoc vocabulum reddens *onus*, vel ut Cl. Rosenmull. (ad Am. 1: 1.) *id, quod portatur, idem atque* מַשָּׂא. Conferri merentur עֲמַסְיָה (2 Chr. 17: 16.) עֲמָשַׂי, vel ut scribitur (2 Sam. 17: 25. 19: 14. 20: 4. 1 Chr. 2: 17. et 2 Chr. 28. 12.) עֲמָשָׂא, etiam עֲמָשַׂי (1 Chr. 6: 10, 20. 15: 24. 2 Chr. 29: 12).

Abarbenelus (in prologo ad Proph. min.) civitatis nomen in libri inscriptione appositum fuisse, censet, ut noster ab aliis hominibus, qui *tunc temporis* idem nomen gesserint, distingueretur. Quod licet fieri potuerit, nullus tamen, nostro Propheta excepto, hoc nomine in Cod. Hebr. insignitur. Luc. 3: 25. commemoratur quidam ἀμὼς, quem Syrus reddit ܐܡܘܨ; sed non constat, utrum illud patris Jesajae, an hujus Prophetae nomini respondeat. In Graecis Codd. cum V. tum N. T. ἀμὼς et ἀμὼν sae-

saepe vicissim permutantur propter literarum in fine positarum similitudinem (16). Armenica tantum versio, Graeca versione decepta, Moabitarum regem (2 Reg. 3: 4.) etiam *Amosum* nominavit (17).

§. 4.

Genus. — vitae ratio. — victus.

De genere Amosi nihil memoriae traditum est in Codice Hebraeo. Fabulantur, Judaei, contendentes, mulierem illam Thekoitidem (2 Sam. 14.) ejus *aviam* fuisse (Hieron. de locis Hebr. ad 2 Reg.). Quinam pater ejus fuerit, ignoramus. Videtur fuisse pastor, si consuetudo, Orientalibus etiam admodum communis, ut filii paternum vitae genus sequantur, in ipsius stirpe quoque obtinuerit. Sic omnino non mirum est, nomen ejus in inscriptione non esse commemoratum. Qui mos ceteroquin ab Hebraeis item observatur, imprimis si pater aliunde innotuerit. Michae et Nahumi patrum nomina v. c. reticentur, quae, cum forte non clara essent, in oblivionem abierunt, eamdemque ob causam recentioribus latuerunt. Mittendae certe sunt Judaeorum argutiae, patrum aut avorum mentionem non fieri, nisi hi Prophetae fuerint: quo statuto eo progressi sunt, ut legibus Grammatices neglectis, patrem Nahumi, *Helkesaeum* fuisse, eumque Prophetis annumerandum esse, putaverint (vid. Hier. in prooem. ad Nah. et init. comm. in Soph.).

Vitae genus quod attinet, omnes consentiunt Amosum fuisse pastorem. Auctor inscriptionis perhibet Amosum fuisse בנקדים urbis Thekoae, et semet ipse vocavit Propheta (Am. 7: 14.) בוקר. Nimis, quam opus erat, ab antiquissimis inde temporibus, de vera horum vocabulorum significatione litigarunt, quotquot huic libro explicando operam dederunt. בָּקָר, ut ab hoc incipiamus, est nomen collectivum, denotans *armenta*, *pecudes majoris generis*, cujus nomen unitatis est שׁוֹר. צאן sunt *pecudes minoris generis*, cum *oves*, tum *caprae*, ex quibus singulae vocantur שֶׂה. בּוֹקֵר igitur proprie est *armentarius*. Sed haud levis est suspicio, hoc vocabulum de pastore *quovis* usurpatum fuisse. Hoc loco tantum occurrit in Cod. Hebr., quare ex collatis reliquis explicandum est. Inspecto autem com. 15, docemur, ejus gregem constitisse τοῖς צאן, quam ob rem *opilionis*, vel *ovilionis* notio aptior esse videtur, neque improbabile est, veteres Hebraeos voce בָּקָר de *quovis* pecudum genere usos esse, cujus vestigium forte superest in dialecto Syriaca. Syri nimirum addito alio

nomine hoc definiunt. In N. T. v. c. Matth. 8: 30. seqq. Marc. 5: 11. *ἀγέλη χοιρῶν* redditur ܒܩܪܐ ܕܚܙܝܪܐ et in Bar Hebraei Chronico p. 304: 13 mentio fit *τῶν* ܒܩܪ̈ܐ ܕܬܘܪ̈ܐ ܘܥܢܐ *gregum taurorum et ovium.* Syrus interpres loco Amosi laudato recte igitur vertit ܪܥܝܐ *pastor*, Gr. *ποιμὴν*, quod, etiamsi de *pastore qualicunque* interdum adhibeatur, *opilionem* tamen plerumque designat: v. c. in his disertis Platonis verbis (de Rep. II. p. 233. ed. Bip.) *εἰ αὐτοῖς βουκόλους τε καὶ ποιμένας, τούς τε ἄλλους νομέας προσθεῖμεν.* Recte itaque LXX interpretes Hebr. voc. *αἰπόλον* reddiderunt, cui in Cod. Barb. additur *αἰγῶν*, quod forte aliunde est receptum, aliorumque versioni additum fuerit. Qua voce librarius quidem in Cod. suo, versionem reliquorum Graecorum interpretum definire voluerit. Nam Aquila, Symmachus, Theodotion, editio quinta, *βούκολον* habent. Quos secutus est Vulg., *armentarium* exhibens.

Alterum vocabulum est difficilius. Bis tantum in Hebraeo Codice legitur, Am. 1: 1 et 2 Reg. 3: 4. Hoc loco Mesach, Moabitarum rex, cui ingens tributum, multis pecorum millenis constans, ab Israelitis impositum erat, נֹקֵד fuisse narratur. Syrus, voce Hebraea utroque loco retenta, nihil definit, neque praeterea constat, quid ܢܩܕܐ apud Syros proprie designaverit. Ex Alexandrinorum interpretum versione nullum peti potest auxilium. Nam utroque loco voc. Hebr. non videntur intellexisse, in hoc *νωκήδ* rescribentes, in *illo* vero, בנקרים legentes, *ἐν νακκαρεὶμ.* Haec enim vera et antiquissima fortasse lectio fuit. Graecorum Alexandrinorum vestigiis institit Theodotion (Am. 1: 1 *νωκεδεὶμ.*). Reliqui veteres a se invicem dissentiunt, quorum plerique, Chaldaeum, credo, secuti, *pecorum dominum*, id est, *hominem pecoribus divitem* intellexerunt, ut *οἱ λοιποὶ* (2 Reg. 3: 4) *ἀρχιποιμὴν* habentes, docente Theodoreto (ad Am. I.), quo nomine h. l. forte indicantur auctores editionis V. VI et VII. In eamdem fere sententiam abierunt Aquila, utroque loco *ποιμνιότροφος*, et Symmachus 2 Reg. 3: 4 *ἦν τρέφων βοσκήματα* exarantes. Hic tamen Am. 1: 1 *ἐν τοῖς ποίμεσιν*, ut ed. V., praefert. Cyrillus, Graecam versionem ceteroquin presse exprimens, ejusque sensum explicans, in comm. ad locum Am. perhibet, eum fuisse *ἐν κτηνοτροφείοις*, a Bocharto (Hieroz. I. p. 442.) minus bene mutatum *ἐν κτηνοτρόφοις.* Ille enim dicere vult, eum oracula sua accepisse in *locis*, *ubi greges aluntur.* Nam mox addit: *οὗτοι τοίνυν οἱ λόγοι, οἵτινες γεγόνασιν ἐν καιρῷ τοῦ ποιμαίνειν, ἐπὶ δὲ αὐταῖς τῶν προβάτων αὐλαῖς.*

Ex recentioribus Drusius hanc professus est sententiam. Existimat *pecorum dominos* נֹקֵד, eorumque *servos* proprie רֹעֶה dici. Illud vocabulum explicat de *notis*, quas

quas veteres, quo melius pecora dignoscerent, iis inurebant. Affert illud Aristophanis (Nub. 25) *κοππατίας ἵππος, equus, literam κόππα prae se ferens*, non *κάππα*. (Nam *κόππα*, ut monuit Passovius (in Lexico Leipz. 1826) respondet τῷ Hebraeorum ק). Reddit igitur vox נֹקֵד *punctatorem*, cum נָקֹד dicitur *pecus punctis notatum*. At bene observat Boch. (l. l.) hoc vocabulo indicari puncta, non *arte* facta, sed a *natura* indita. Uberius ibidem suam explicuit sententiam, quam totam fere recepit Cl. Gesen. in lexico. Merito omnino confertur Arab. نقد, de qua voce ex Gjeuhario haec a Golio notantur: « est collectivum, *genus ovium deforme et brevipes*, in « Bahrein, Arabiae provincia, frequens. Unde adagium اذل من النقد *tali pecore* « *vilior*. Ejusdem lana optima habetur. » Hinc نقّاد *vir, qui perpetuo operam suam ejusmodi pecoribus impendit*. Ut Am. 7: 14 لقّاط توت *qui perpetuo in colligendis ficibus est occupatus*. Ut docet Tebrizius ad Hamas. (p. 57. r. 13. ed. Cl. Freyt.) فاذا فعل الفعل وقتا بعد وقت قيل فعّال. Illud نقّاد vel نُقّاد latet fortasse in scriptione ניקד, quod 2 Reg. 3: 4 in Cod. 70. Kenn. legitur, si librarius literam reduplicandam, inserta י, indicare voluerit, ut saepius in Codd. fit. Ejusmodi ovium genus in Palaestina nutritum fuisse, a verosimilitudine non abhorret. Quidquid vero recipias, probabile est voce נקד indicari *ovium pastorem*, quae notio cum altero loco (Am. 7: 14) optime convenit.

Fieri potest, ut praeterea hoc vocabulo cum *pecorum dominum*, tum *gregis ministrum* antiquitus indicaverint. Cl. Gesenius utramque notionem recepit. Dubito tamen, an Amosi locus hanc notionem probet. Quisnam enim inscriptionis auctor fuerit, aut quonam tempore ea, quae in ejus initio leguntur, addita sint, in obscuro latet. Quodsi vero is eamdem atque Chaldaeus, et recentiores Judaei, sententiam amplexus sit, de industria forte vocabulum excogitavit, quo virum divitem indicaret: atque tunc non aptiore uti potuisset voce, quam, quae in Cod. Hebr. de Moabitarum rege adhibita erat. Quo admisso, effatum *Prophetam simul hominem divitem esse debere*, apud Judaeos recentiores tritissimum, etiam antiquius est Graeca versione. Jonathani saltem non incognitum fuit. Sunt forte, qui dicendi formulam *dominus gregis*, ut saepissime fit, de *homine, gregem possidente*, explicare malint. Quod quamquam usu probatum est, nescio tamen, an in Chaldaei, Judaeorum placitis imbuti, versione premendum sit, nec ne. Videntur saltem ad lautiorem vivendi rationem respicere verba illa, quibus

He-

Hebraea Am. 1 : 1, reddidit, דהוה מרי גתין, praesertim versio ejus Am. 7 : 14, quo loco illud בוקר vix a nemine, nisi praejudicata opinione ducto, explicatum fuisset מרי גתין. Hinc non improbabile est, causis, quare Judaei eorumque imprimis doctores in Christum plus semel invecti fuerint, hanc causam etiam annumerandam esse, quod ille non ea in conditione versaretur, quam Propheta dignam eique unice convenientem arbitrabantur. Quem errorem Christus, tenui vitae ratione exposita, suis sectatoribus saepe eripere studuit.

Eamdem cum Chaldaeo opinionem fortasse fovit auctor Scholii בעל המקנה, quo voc. נקד explicatur. Manifestum certe ejusdem sententiae vestigium inest notae, in ed. Holmes. loco 2 Reg. 3: 4 adscriptae: *α νεκεδ* (pecorosus) Arm. 1. aliique. Arm. ed. » Ex recentioribus Judaeis Rabbini nonnulli, ut Kimchius hanc argumentandi rationem adstruxerunt, perhibentes, dicendi formulam, *qui fuit ex pastoribus*, virum *magnum* significare. (vid. Drusius ad Am. 1 : 1 et Carpzov. l. l. III. p. 516). Fuerunt igitur, qui putarent illam ב, quam Grammatici *essentialem* (Gesen. Lehrgeb. p. 838) vocant, abundare, ut in Arabica dialecto et in Corano praecipue vulgo accidit, v. c. Sur. II: 139 وما الله بغافل *Deus non est negligens*. Tali tamen in casu singularis numerus aptior esse videtur. Falsam esse Judaeorum explicationem, quisque facile perspicit. Hoc enim vult inscriptionis auctor: Amosum *inter pastores Thekoenses versatum esse*. Harenberg. quoque (l. l. p. 62.) Amosi vitae conditionem splendidiorem, quam par est, adumbravit.

Hanc veterum et recentiorum quorumdam sententiam, ipse Propheta denique infringit. Huc referenda sunt, quae, additis verbis בולס שקמים, Am. 7 : 14, dicere voluerit. Primum videamus de fructu, quo facto, propriam obscurissimi verbi potestas melius investigari potest. Voc. שקמים hoc solo loco de *fructu*, in reliquis, ubi idem occurrit, locis, de *arbore* adhibetur. Veteres interpretes omnes *ficum* intelligentes, consentiunt. Interdum tamen voc. illud reddentes, certam ejus generis speciem ob oculos habent (18). Recentiorum sententiae in varias partes abeunt. Sunt, qui putent, intelligendas esse *siliquas*, Graecis *κερατώνια*, *κερώνια*, vel et *κεράτια*, dictas, unde latinorum *ceraunia* et Rabbinorum חרובין (Buxtorf. in lexico p. 821) a Syro Luc. 15: 16. adhibitum. Salmasius (Exercitt. Plin. p. 528.), Theophrasti et Plinii auctoritate fretus, *Ceroniam Sycomoro similem esse* contendit. Cujus vestigia pressit Harenberg. (l. l. p. 47.). Potius tamen

Sy-

Sycomorum ab Amoso indicatam fuisse credimus. Hoc modo teneamus, arborem illam, ex patria in peregrinas terras traductam, pro cujusque regionis indole, coelique temperie, et soli natura post aliquod temporis intervallum quodammodo degenerasse. Orienti enim, imprimis Aegypto et Palaestinae propria erat, qua in regione, ut jam vidimus, laete crevit, et urbs *Sycaminos*, sita, testibus Ptolemaeo et Strabone, Ptolemaidem inter et Caesaream, Carmelo propiorem, suum nomen inde accepit (vid. Harenberg. l. l. p. 46.) Hinc in Cyprum et Cretam (Athen. p. 77. b. Plin. H. N. XIII: 7. Meurs. Cret. p. 104. Cypr. p. 90.) in Graeciam (Boch. Hieroz. I. p. 384.) et ulterius translata est. Nemo igitur miratur eam in variis istis regionibus sibi propria sua nactam esse, quae, a singulis rerum Naturalium scriptoribus enarrata, facile, sed perperam, suspicionem movent, non eamdem omnes ob oculos habuisse. Sic verbi causa de ejusdem arboris, in Aegypto et in Palaestina repertae, discrimine exposuit Abou Hanifa, quem Abd'ollatifus laudavit, idemque confirmat Temimius, docens Sycaminum duas fructuum species in ipsa Syria proferre (cf. Cl. Sacyus l. l. p. 20. ubi ea vidd., quae ad hunc locum annotavit). Hoc tamen Sycaminus Aegyptiaca et Palaestinensis commune habuisse videntur, ut circumsectione quadam opus haberent, qua neglecta, fructus vix vel ne vix quidem maturescere potuerit. In quo tradendo omnes scriptores, Plinius, Graeci (quos laudat Bochart. l. l.) Arabes, et recentiores, mirifice conveniunt. Plinius, Sycaminum Aegyptiacam describens (l. l.) *arbor*, inquit, *moro similis folio*, *magnitudine*, *adspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum ficus est praedulcis, sine granis interioribus, perquam foecundo proventu, scalpendo tantum ferreis unguibus: aliter nen maturescit. Sed cum factum est, quarto die demetitur, alio subnascente: Septeno ita numerosa partu, per singulas aestates, multo lacte abundante. Subnascitur etiam, si non scalpatur, foetus quater aestate, prioremque expellit immaturum.* Cum his prorsus fere convenit Abd'ollatifus ille, Bagdadensis, medicus celeberrimus, vir eruditione clarus. Liber laudatus compendium est operis multo majoris, in quo ea tradit, quae ipse viderat, et expertus erat. Vellem equidem locum totum transscribere, sed metus, ne Gallicis vel latine redditis, vel in compendium redactis, et interpreti, et auctori quid detraherem, retinet. Legat, quaeso, quisque locum integrum (l. l. p. 19.) cum eoque conferat aliorum, recentiorum maxime, relationes, in notis additas (p. 35 et 57.).

Fi-

Ficibus Judaei saepius vescebantur, quare, cum cibi omnibus fere communes non admodum vulgo diligantur, non magnum iis quoque habebatur pretium, iterque per mare facturis solitus erat victus (Joseph. in vita §. 3). Minor etiam erat Sycamini honor, cujus felix proventus, et ingens multitudo illius contemtus causa fuit. Hinc in Aegypto fructus illi a sola plebe plerumque quaeruntur, quae panis frustum cum massa sycomori, et aqua, ex Nilo hausta, deliciarum instar habet (vid. Nordenus l. l. a Cl. Rosenm. in comm. ad Am. p. 222). Temimius (laud. ap. Cl. Sac. l. l. p. 85.) Sycaminum Syriacam et Palaestinensem Aegyptiaca ad edendum meliorem esse perhibet. Abdollalifus (l. l. p. 19) eorum dulcedinem effert, sed ingratum saporem, arboris corticem referentem, simul commemorat. Strabo lib. XVII. p. 823. *κάρπον* dixit *ἄτιμον κατὰ τὴν γεῦσιν.* In Syriaca N. T. interpretatione veteri Luc. 19: 4 fructus *insipidus* vocatur (19). Videntur istiusmodi querelae multos movisse, ut hunc cibum inferioris sortis hominibus relinquerent, sed simul observari meretur, ingratum illum saporem saepius forte suam originem ex eo repetivisse, quod non justa huic arbori impenderetur cura. Quae si instituatur, fructus est dulcis et lacte abundans (Warnekros. l. l. p. 247 et 256 seq.). Quo plures igitur homines alat, eo acrius ista negligentia notanda est, eoque magis laudandum sapiens, de quo supra diximus, Davidis institutum (1 Chr. 27: 28). Quod quominus Uzziae, Amosi aequali, aliisque regni Judaici regibus vindicemus, nihil impedit.

Superest ut de verbo בלם exponamus. Quod, quoniam est *ἅπαξ λεγόμενον*, ex veterum interpretatione et vicinarum dialectorum collatione tantum explicari potest.

Chaldaeus (אית לי) et Symmachus (*ἔχων*) rem in medio reliquerunt. Syrus et Arabs reddunt *colligere*, cum iisque consentit Scholion in Gloss. MS. in Prophetas (ap. Schleusn. in voce) *κνίζων συκάμινα, συλλέγων, ἐσθίων.* Ab his non magnopere dissentit Aquila, qui voc. *κνίζων*, adhibito Chald. בלש, *inquisivit*, vertit *ἐρευνῶν.* Quem sequuntur Jarchius, et, teste Drusio (ad h. l.), duo Scholia Hebraica. Omnino tamen accuratior est Theodotionis interpretatio, *χαρακῶν.* Quod Bochartus, cui hoc suspectum videbatur, commutavit in *χαράσσων incidens.* Quae conjectura haud levem nanciscitur auctoritatem ex eo, quod Theodoretus idem hoc vocabulum in Theodotionis versione legisse dicitur (Am. 7: 14) secundum Codicem Coislinianum, qui octingentorum, et quod excurrit, annorum aetatem habeat (vidd. dicta a Schulzio in praef. ad Theodor. opera II. p. 8). At nihilominus receptam praeferam le-

lectionem, quam alii Codd., iique haud contemnendi, et Hieronymi, in hac versione χαρακῶν legentis, auctoritas tuentur. Bochartus hoc vocabulum vertit *pedamentis fulciens*, alii *vallans*, sive *fossa muniens*. Quod quam contorte de sycaminis dicatur, quisque facile perspicit. Potius vertam *resecans*. Lubenter fateor mihi ex Graecis Scriptoribus deësse exempla, quibus hoc probem. Quae si vel desiderentur, nihil tamen obstat, quominus huic verbo apud Hellenistas, quibus aliae verborum notiones subinde notae et tritae fuerunt, *resecandi* vim propriam fuisse, statuamus. Accedit, quod prima verbi potestas hanc significationem non tantum admittat, sed et quodammodo postulet. Etenim χαρακοῦν idem est, atque χάρακα ποιεῖν. Χάραξ, a quo nostrum verbum deducitur, suam repetit originem a χαράσσω, proprie *acuere*, *acie* vel *cuspide acuta incidere*, *secare*: χάραξις igitur est *acuendi*, *incidendi*, *secandi actio*, χαρακτὴρ primum *instrumentum*, *quo incidatur*, dein *id quod incisum est* et χάραξ, *id*, *quod acutum*, *incisum vel sectum fuit*. Unde notiones *apicis*, *cuspidis*, *pali*, *palorum seriei*, (valli), *surculi* (*olivae* imprimis) et *fossae*. Quorsum pertinet quoque glossa vetus, huic voci ab Hederico adscripta, *sulcus terrae*, *fossa*, *aratro aut fossoris instrumento excavata*. Hinc verbum nostrum, cui ceteroquin notio tribuitur *vallo circumdandi*, *fulciendi* (praecipue *vineas*), etiam potest significare, *cuspidem*, *palum*, *fossam*, *surculum facere*, et, quod in Sycomoris colendis observatur, *incisionem instituere*, *tenui isto instrumento incidere*. Praeterea confirmantur dicta lectione Codicis Coisliniani, cujus auctor notam in margine positam, qua verbum χαρακοῦν per χαράσσων explicatum sit, videtur recepisse. Nec dubito, quin in loco laud. Theodoreti illud ἢ συλλέγων eamdem originem habeat (20).

Postremo loco ex veteribus interpretibus consulamus Alexandrinos, quorum interpretatio h. l. eo majorem habet auctoritatem, quo accuratius rem, de qua sermo est, ipsi cognoverint. Verbum בלם reddunt κνίζων, id est *secans*, quo vocabulo incisionem sycomoris adhibendam sine dubio indicarunt (21).

In vicinis autem dialectis non desunt indicia, quibus eadem vis Hebr. vocabulo concedatur. Apud Arabes بلس est *ficus*, teste Camouso, quod, docente Bocharto (l. l.), etiam in Aethiopica versione τῷ שקמים respondet. Si ergo בלם fuit *ficus*, בולם est *fici cultor*, *qui ficibus colendis operam navat*, ut כורם, *qui vineas colit*, a כרם *vinea*. Graeci quoque, ut dicunt veteres Lexicographi, camdem tribuerunt notionem verbo συκάζειν (vid. Bochart. l. l.).

Qui-

Quibus omnibus bene perpensis, verosimillimum est, Amosum (7: 14) dicere voluisse: *pastor ego sum, et sycaminis operam impendens, fructu illo, leviter incidendo, victum quaero.* Hac ratione tum cibum, quo uti soleret, tum operam, in qua interdum occupatus fuerit, exposuit, aptumque responsum dedit Amaziae, cujus oratio haud dubie lautiorem videndi rationem significabat. Quae cum ita sint, nemo Prophetam ditioribus hominibus annumeret.

Ac merito talem descripserunt eum Hieronymus, Cyrillus Alex., Theodoretus, alii, vitae ipsius conditionem adumbrantes (22). Nonnulli, ex recentioribus, consentientes eum non fuisse potentem pecorum dominum, affirmarunt non tantum, eum aliis inserviisse, sed sortem etiam ipsius, tamquam vilissimam depinxerunt. Quid ejus rei sit, non certo constat. Fieri potest, ut ditioris cujusdam Judaei pecoribus praepositus fuerit, vel quod J. D. Michaëlis, Hezel, Jahn, alii, voluerunt, ut parvam patris gregem filius, Orientalium more, duxerit. Verum incerta mittimus.

Hoc caveamus modo, ne eum, qualicunque vitae conditione usus fuerit, cum rudibus istis tenuibusque conferamus homunculis, quales pastores hodierni vulgo habentur, qui raro saltem reliquis hominibus excellunt, rariusque etiam eruditione inclarescunt, (vid. de Wette, Einl. in A. T. 1822. p. 517).

§. 4.

Sortis vicissitudines.

Ut ampla fuit disputatio de Amosi genere, vitae conditione ac victu, ita brevis erit sequens de ejus sortis vicissitudinibus, quae in Cod. Hebr. traduntur, narratio. Pauca enim de iis, quod valde dolendum est, ibidem nobiscum communicata sunt, eaque omnia libro Amosi continentur. At quaenam sint videamus. Quae postquam explicuerimus, nonnulla, de quibus hic disputandi locus est, adjiciemus.

Amosus, Davidis instar, pastorum more, tractus, pascuis excellentes, pervagari solebat. Mores ejus, indoles, sermo, universa denique cum agendi tum dicendi ratio indicia ostendunt illius vitae generis, cui a juventute assuetus fuit. Quod si, iis praesertim in regionibus, aliquam vim habet ad ingenium excolendum, elatioresque sensus in hominum animis excitandos, hanc vim atque efficacitatem in eo felicissime exercuit, et egregias quasque facultates, menti inditas, seminum instar fovit, explicuit, propulit. Non enim *ingenti eruditione* erat praeditus. Abhorret illa ple-

plerumque ab Hebraeorum ingenio, eique aetati saltem prorsus incognita fuit. Quidquid enim eruditionis nomine ornent (Eichh. Inl. III. §. 567), hoc tantum demonstrat, eum non otiosum, nec socordem rerum, tunc temporis in patria et alibi gestarum, testem fuisse. Non tantum nomine erat Judaeus, neque, solis ritibus peractis, sacram proavorum religionem absolutam esse putabat. Patriae flagrabat amore et Jehovae cultorem se praestabat optimum, ejusdemque vindicem acerrimum. Populi sui historiam bene callebat, splendidam Davidis, Salomonis aetatem noverat, sed simul gravissimas illas tempestates, quas toleraverat. Menti alte infixa manebat misera ista gentis dilaceratio, cujus detrimenta ipsis oculis cernebat, quaeque in dies cumulari, subinde tristi ad eum fama perferebatur. Idolorum cultus, quem viderat, perniciosissima ipsi erat reip. pestis, prorsus contraria legi Mosaicae, cujus scientia erat imbutus, quam ex scriptis, antiquitate venerandis, repetierat, et toto animo amare didicerat; istum cultum tacitus adspicere non poterat, nisi civitatis interitum properare vellet.

De Amosi juventute nihil scripto mandatum est. Opinatus est Hezel. (praef. in Amos.) eum semet ipsum erudivisse. Conjecit Bertholdtus (Einl. p. 1611 seq.) eum juvenem in meliorem conditionem fuisse translatum, qua dum frueretur, hominum eruditiorum institutione usus fuerit. Non improbabile est, eum Hierosolyma, Thekoa haud procul remota, aliquoties adiisse, sive ad festa celebranda, sive ad res qualescumque tandem perficiendas. Qua opportunitate, quid ipsi contigerit, et quibusnam viris obviam factus sit, certo dici nequit. Acquiescamus potius ipsius dictis, quae hoc saltem confirmant, eum in Scholis Prophetarum non edoctum fuisse (23).

Causam, quae eum permoverit ad Prophetae munus suscipiendum, ipse brevissime sic explicuit (7: 15.) *et sumsit me Jehova ab ovibus, quibus pascendis intentus eram.* Quod quomodo factum sit, non exposuit. Uberior ejus rei descriptio a sobria et parca ejus dicendi ratione abhorret, et magis convenit Jesajae, eleganter et sublime vocationem suam describenti (Jes. 6.), et Jeremiae, qui eum suo modo secutus est (cap. 1.). Dahlius (einl. p. 11. seqq.), Cl. Justius (einl. p. 5.) et summus Niemeyerus (Karakterkunde IV. 2de St. p. 481. sqq.) suspicantur, Amosum, gravissimam aetatis suae corruptelam animo volventem, vehementi fervore subito correptum fuisse ad vitia ista perstringenda. Quum vero illa loquendi formula, qua He-

braei omnia Jehovae tribuunt, tam late pateat, difficile est semper definire, quid solito rerum cursu acciderit, an vero singulari agendi ratione a Deo effectum sit. Omnes, utramcumque sententiam amplectentur, sine dubio statim concedent, Deum cuncta gubernare, et peculiarem Hebraeorum curam egisse. Jam cum falsorum Prophetarum, quos merito perstringit Michas. 5 cap.), numerus tantus fuerit Amosi aetate, quid mirum, si plerique Prophetae, qualicunque tandem modo, a Jehova instigati sint ad cultum ipsius acrius tuendum? Quo facto, summo jure professi sunt, se a Jehova missos fuisse. Accedit alia causa, quare, summa moderante Providentia, hoc munus Amoso mandatum sit. Ordo Prophetarum, inter Israëlitas praecipue, non maximi habebatur, v. c. regnante Achabo (1 Reg. 22). Prophetae, cum victu, tum vestitu a reliquis civibus distincti, facile dignoscebantur, saepiusque fortasse, coram populo orationem habentes, vix vel ne vix quidem audiebantur. Exspectandum ergo erat, fore ut populus lubentius aures praeberet viro, nullam Prophetae speciem ostendenti: idque eo etiam magis, quod locus, in quo prodiit, fuit Bethel, ubi peregrinus erat. Ejusmodi enim adventus et oratio, homines, novis rebus inhiantes, allicere solent. (Eichh. einl. s. 566. Van Vloten. Bybel. IX D. p. 229).

Nonnulli ex veteribus interpretibus contenderunt, eum primum inter pastores docuisse, deinde ad Israelitas se contulisse. Cyrillus Alexandrinus in praef. ad Amosum suam opionem hac ratione proposuit *ἐπειδὴ δὲ ἦν ἀνὴρ ἀγαθός, καὶ πάσης ἐπιεικείας ἐργάτης, τὸ τῆς προφητείας εὐθὺς κατεπλούτει πνεῦμα, καὶ προεφήτευεν οὐκ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἀλλ' ἐν αὐτοῖς ἐπὶ τοῖς ποιμνίοις ἐν ἀρχαῖς, τῶν ἐξ ἔθνους τε αὐτοῦ μελέτης ἐχόμενος φροντισμάτων· εἶτα καὶ εἰς αὐτὴν ἀφικόμενος τὴν Βαιθήλ.* Theodoretus cap. 1. duplici Graeci Codicis sui errore deceptus, *ἐδίδαξεν*, inquit, *ἡμᾶς ὁ προφήτης, ὡς ἐκ θεκουὲ ὁρμώμενος ἐν τῇ Καριαθιαρεὶμ τῆς θείας ἀποκαλύψεως ἔτυχε, καὶ ὅτι προσετάχθη περὶ τῆς Ἱερουσαλὴμ τοὺς λόγους ποιεῖσθαι* (24). Utrum Abarbenelus (vid. Carpz. Introd. III. p. 167), perhibens, Amosum non tantum *in regno Israelis*, sed etiam *inter Judaeos* vaticinatum esse, hanc sententiam probaverit, an potius ad tempus remotius respexerit, non manifesto apparet.

Relictis Judaeae tractibus in regnum 10 tribuum se contulit, quod quanam opportunitate factum sit, conjiei tantum potest. Bertholdtus (einl. III. p. 1612.) suspicatur, vel amicorum, vel familiarium causam eum impulisse, ut, patria relicta, huc proficisceretur. Fieri potest, ut, pace vigente, cum gregibus fines regni transgressus fue-

fuerit, quo facto brevi Bethelem pervenerit (vid. §. 2). Est etiam quaestio, saepius agitata, utrum Vates, postquam Prophetae munere functus est, vitam pastoralem missam fecerit, nec ne (Ribera in Proph. min. p. 215). Eum hoc non fecisse, diceres ex Am. 7: 14. Quod tamen, cum ex coll. seq. versu, dubium videatur, non urgemus; et hanc quaestionem, utpote minus gravem, cujusque judicio relinquimus.

Tempus, per quod inter Israelitas versatus sit, ab aliis longius, ab aliis brevius fuisse statuitur. Fuerunt, qui ex libro ipso demonstrarent, eum non perpetuo Bethele mansisse, sed terram Israelis peragrasse. Itaque oratio, quae cap. 4: 1—3. (Eichh. uber die Proph. Gott. 1816. 1 Th. p. 41.) et cap. 6. continetur, *Samariae;* cap. 5: 13. seqq. non *in urbe*, sed *in agro*, *festi*, *messis tempore celebrati*, *opportunitate*, iis habita esse videtur (vid. Berth. l. l. p. 1619. seq.). Saltem si quid ex satis accurata rerum Israelitarum notitia, quam se habuisse nonnumquam ostendit, possit effici, non improbabile est, eum diutius, quam vulgo creditur, in hoc regno commoratum fuisse, quamvis concedendum est, eum, fama ad ipsum perlata, plerarumque rerum certiorem fieri potuisse.

Quidquid assumatur, hoc constat, eum Bethele, festi fortasse occasione, coram populo orationem habuisse. Tunc temporis, Jerobeami II. auspiciis, cultus Vitulorum florebat, et summa hujus urbis in regno Israelis erat dignitas. Vocatur enim *Sacrarium regis et domus imperii* (7: 13.). Rex etiam huic festo adfuit; alioquin enim extemplo eum adire non potuissent, (7: 10). Hac re Propheta forte permotus fuit, ut disertam *regis* faceret mentionem (7: 9). In hac nobilissima urbe, medium inter splendidum sacrorum apparatum, in ipso fortasse templi atrio, prodiit Amosus. Locus, in quo morabatur; turba, quam oculis ipse cernebat; cultus nefarius, cuncta, ipsi in mentem revocabant, sanctum illud Hierosolymorum templum, veneranda agmina, Jehovam suavibus illis carminibus laudantia, sacra divina, et antiquitate sancita. Succurrunt ipsi pericula, calamitates, interitus, quae Israelitis imminebant, eaque perpendens, cum aliae cogitationes aliis succederent, subito verba facit, querelas effundit, perniciemque minime evitandam annuntiat. Populus congregatus ipsum loqui sinit et audit. Alii sollicitantur timentque, rident alii et murmurant. Haud multum abest, quin seditio oriatur. Fama ad Pontificem (25) defertur. Regem rei certiorem reddit. Prodit, deinde loquitur, in Amosum invehitur. Vates divinus, falsa criminatione audita, cognitisque irati Amaziae contumeliis, dignitati suae conve-

venienter respondit, et bene perspiciens, se non amplius iis hominibus prodesse posse, neque eo in loco manere, sapienti consilio regnum reliquit, et in patriam suam se recepit.

§. 5.

Traditio de morte Amosi.

Haec sunt, quae Cod. Hebr. de Amosi sortis vicissitudinibus docuit. Reliqua quae de iis narrantur, traditionis auctoritate nituntur. Ex quibus ea, quae ad mortis ipsius genus pertinent, omnium maxime explorari merentur: non, quoniam magni sunt pretii, sed quia ad antiquitatis ingenium cognoscendum, traditionumque originem et propagationem investigandas, magnas afferunt utilitates. Disputationi ut bene decurrat, et simul quam brevissime absolvatur, ea, quae veteres de Amosi morte tradiderunt, inseramus.

Aliorum Prophetarum infelix fuit vitae sors, aliorum miserrimus exitus. Novimus ex scriptis, quae Jeremiae nomen prae se ferunt, quot quantasque difficultates hic perpetuo pertoleraverit; quibusnam angustiis interdum pressus sit, quales contumelias injuriasque saepius perduraverit! Zacharias, Jojadae filius, in templi atrio lapidibus obrutus, truculentam mortem subierat (2 Chr. 24: 21). Manasse insontium sanguine Hierosolyma polluerat, quorum numero quin Prophetae annumerandi sint, non dubitandum esse videtur (2 Reg. 21: 16. coll. 1: 10). Judaeis recentioribus ista facinora alte menti inhaerebant. Christi aetate ab iis abhorruerunt, eaque maxime detestati sunt (Matth. 23: 30), quin etiam Prophetarum occisorum numerum, et gravissima eorum supplicia mirum in modum tunc temporis exaggerarunt, ut diserte liquet ex relatione Hebr. 11: 33 — 39. Quid ergo facilius, quam ejusmodi mortem etiam Amoso tribuere, cujus fingendae, ipsius repulsa aptam occasionem praebebat.

Judaei, licet istam atrocitatem aversantes, patribus tamen non meliores erant. Omnis generis molestiis Jesum, ejusque Apostolos circumvenire, iisque insidias struere perpetuas, ac mala quaecunque acerba parare, semper et ubique maximo cum studio conabantur. Quibus si addamus, mortem nefariam scelestissimamque Servatori illatam, Stephanum lapidibus obrutum, Jacobum gladio caesum, alia, causa est in promtu, quare querelas de interfectis Prophetis toties repetantur (Matth. 23: 37.

Apoc.

Apoc. 11: 7, 8, 9. 16: 6. 18: 24. coll. 1 Thess. 2: 15. Jac. 5: 10), iidemque Prophetae cum Apostolis carmen edere fingantur de Romae interitu, quae Hierosolymorum instar Legatorum Divinorum sanguine contaminata erat (Apoc. 18: 20). Christiani, quae a Judaeis traditione acceperant, recolentes, quaeque ipsi vel experti erant, vel viderant, animo volventes, summo honore viros illos prosequebantur, eorumque memoriam non servare non potuerunt.

Magna illis viris habita reverentia, et gravis, quem ex dura eorum sorte acceperant, dolor originem dederunt sepulcris, quae Christi aetate summopere curabant, (Matth. 23: 29). Non minus fuit Christianorum studium memoriae cum antiquorum, tum recentiorum doctorum colendae: quod cum in dies augeretur, in dies etiam majori cum religione ipsorum sepulcra prosequebantur, ita ut Hieronymi aetate magni quid de religione meruisse censeretur is, qui ejusmodi monumenta conderet, vel condita investigaret, saepiusque adiret.

Hujusmodi temporibus fieri aliter non potuit, quin libellus, qui de singulorum sepulcris exponeret, omnibus gratissimus esset: qualem olim exstitisse suspicari licuisset, etiamsi non ad nostram pervenisset notitiam. At talis etiam nunc superest. Librum intelligo *de vitis Prophetarum*, cujus hoc consilium fuisse, cujusque vitae inscriptio (*ὁ βίος — καὶ ποῦ κεῖται*) dubitare non sinit. Liber ille adjicitur operibus Epiphanii, et a nonnullis eidem tribuitur. Alii alium auctorem suspicantur: in his Petavius, existimans hunc esse *ψευδεπίγραφον propter sexcentas mendaciorum nugas, quibus est refertus* (praef. ad Tom. II. operum Epiph. ed. laud.). Quae ratio neminem certe, nisi qui Epiphanii credulitatem ignoret, quique ut Petavius, Jesu societatis socius, Ecclesiae suae placitis ductus, majorem, quam par est, Patribus auctoritatem concedat, movebit, ut alium scriptorem quaerat. Quin ipsi libro nonnulla antiquitatis vestigia insunt, quae, si datur occasio, alibi exponi merentur. Hoc tamen constat, scriptorem fuisse Christianum, ut ipse, laudatis in vita Simeonis, et Johannis Baptistae N. T. locis, manifesto declarat.

Liber, quis tandem auctor fuerit, a multis lectus et saepius descriptus est. Magnus exemplorum numerus causa fuit, quare passim tam misere corruptus, et subinde novis traditionibus auctus sit. Quod, quum in Patrum scriptis universe animadvertatur, in ejusmodi libello eo minus mirandum est. Talem Codicem ita corruptum et auctum secuti esse videntur auctores duorum Codicum, quibus in edendis Theodo-

doreti operibus, usus est Schulzius, Codicis nimirum Augustani et Florentini, quorum ille seculo nono vel decimo exaratus esse dicitur, et bene distinguendus est a Codice Aug., ex quo ad ed. laud. libri de Vit. Proph. variantes lectiones notatae sunt. In illis Codd. argumento libri cujusque nonnulla adjecta sunt, quae Prophetae vitam paucis absolvunt. De Habakuko tamen nihil referunt. Quod si factum sit, quoniam locus non supererat, suspicio oritur, ea ab aliena manu his Codd. inserta esse, cujus rei Schulzius nullam fecit mentionem. Dissentiunt praeterea illi nonnumquam, attamen in rebus minoribus. Codex A. interdum ampliores, quam Cod. F., traditiones profert, v. c. de Jona. Parvum plerumque est discrimen hos inter et ea, quae in libello de vitis Proph. reperiuntur. Alia tamen in his Codd. in compendium redacta, alia latius explicata sunt (Cff. ea, quae de Zephania, Haggaeo, Zacharia et Malachia traduntur): quae vel librarii ipsi adscripserunt, vel potius ex exemplo suo desumserunt. Additae sunt etiam iis Codd. nominum propriorum cujusque Prophetae explicationes (§. 5.), aliaque haud pauca, quae cuique, collationem instituenti, statim in oculos incurrunt.

Quam parum dissentiant Codd. laud. a libello, de quo diximus, manifesto apparet ex iis, quae de Amoso perhibent, et speciminis loco adscripsimus. Narrationi in hoc libro solenni more praemissa est inscriptio:

ὁ βίος τοῦ ἀμὼς, προφήτου, καὶ ποῦ κεῖται.

Ἀμὼς ὁ προφήτης οὗτος ἐγενήθη ἐν θεκουὲ ἐν γῇ σεβουλὼν· ἔστι δὲ πατὴρ ἠσαΐου τοῦ προφήτου. Ἀμασίας δὲ ὁ ἱερεὺς βεθὴλ συχνῶς αὐτὸν τυμπανίσας, ἐνέδρᾳ (26) αὐτὸν ἐλοιδόρει, εἰς τέλος δὲ ἀνεῖλεν αὐτὸν ὁ υἱὸς Ἀμασίου, ἐν ῥοπάλῳ πλήξας αὐτὸν κατὰ τοῦ κροτάφου, ὅτι ἤλεγχεν αὐτὸν περὶ τῆς ἐνέδρας τῶν δύο δαμαλίων τῶν χρυσῶν. Καὶ ἔτι ἐμπνέων ἦλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ, καὶ ἀπέθανεν, καὶ ἐτάφη ἐκεῖ μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ.

Cod. A. et F.

Ἀμὼς ἦν ἐκ θεκουὲ, καὶ Ἀμασίας συχνῶς αὐτὸν τυμπανίσας τέλος ἀνεῖλεν αὐτὸν ξίφει. (Cod. F. his addit: *πλήξας αὐτὸν ἐν ῥοπάλῳ κατὰ κροτάφου*) *ἔτι δὲ ἐμπνέοντος αὐτοῦ, ἀνῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ, καὶ μεθ' ἡμέρας δύο ἀπέθανεν καὶ ἐτάφει ἐκεῖ.*

Ad-

Admodum difficile est justum de singulis traditionibus judicium ferre. In universum observari potest, veteres imprimis studuisse, cujusque Prophetae tribum accurate referre. Sic v. c. ortum Michae ex Ephraimo, Joelis ex Rubeno, Obadiae ex urbe, Sichemo, Malachiae ex Sebulone repetunt. Tribus Simeonis praecipue magnas partes agit, cui annumerantur Nahumus, Habakukus, Zephanias. Quin etiam iis in locis, ubi in libro de vitis Proph. patriae nulla fit mentio, haec additur in Codd. A et F. In his enim Haggaeus, Zacharias, Malachias *Levitae* fuisse traduntur.

Nonnullae traditiones antiquitatis notam prae se ferunt: in quibus est traditio, quae refert, Nahumum ex urbe, אלקש, *trans Iordanem* sita, oriundum esse. Duae nimirum hujus nominis urbes antiquitus fuisse videntur: altera, in Galilaea, quae Epiphanii aetate supererat, cujusque Hieronymus, ejus aequalis, mentionem injecit. Altera trans fluvium, quae, quia tunc forte in oblivionem abierat, ab hoc non commemoratur. Haud pauca certe ex antiquiore Judaeorum traditione sunt recepta, quare multa, quae h. l. leguntur, ab Hieronymo iis tribuuntur. In his narratio *de Habakuko, ad Danielem, leonibus cinctum, cum prandio misso* (Hieron. in praef. ad Habak.). Michas, Amosi aequalis, cum altero Micha, qui Achabi tempore vixit, confunditur (Hier. ad Mich. et philosophie der Geschichte oder über die Tradition, Francof. 1827. p. 170). Pleraque tamen deinde a Christianis aucta et exornata esse videntur, Judaeorum more, quibus nihil magis placebat. Dubites igitur, variis traditionibus de Obadia, Jona, Micha, aliis, cum apud Hier., tum apud Epiph. perlectis, utrum ea, quae addita sunt, Christianis, an potius Judaeis tribuenda sint. Hieronymum librum Epiph. novisse, ex illius scriptis, quantum scio, non apparet.

Illa, quae de Amosi morte traduntur, sine dubio ex eodem fonte repetita sunt. Judaei enim tradunt eum *ab Osia, filio Amaziae*, baculo interfectum esse, quod Lutherus minus prudenter recepit. Alii ferunt, eum, clavo, jubente Jerobeamo, temporibus impacto, Siserae instar, caesum esse (Justi Einl. l. l. p. 4).

Hoc etiam receptum est in libro, qui Dorotheo tribuitur, quique, ut auctor saepius ostendit ex Epiphanio multa repetiit. Imprimis tamen id egit, ut ex minoribus Prophetis, de quibus solis exposuit, vaticinia notaret, quae ad Jesum Christum referenda esse ipsi videbantur. Pro *clavo*, ut recte jam observavit Harenbergius (L l. Introd. p. 65), nisi auctor sua ex libello Latino, eoque corrupto, receperit, legendum est *clava*, id est, *fustis*. Respondet hoc vocabulo ῥόπαλον, quo Epiphanius usus est.

Isio-

Isiodorus habet *vectem*, et forte *clavum* legit. Ex altera narratione, male intellecta, alterum vitium videtur fluxisse, quod ipsi cum Judaeis, aliisque, ut deinde videbimus, Christianis Scriptoribus commune est. Amaziam enim *sacerdotem* cum rege ejusdem nominis confudit. Quare cum vidisset, alterum narrasse *filium ejus Amosum necasse*, *Oziam* (Uzziam) hoc fecisse, putavit. Dorotheus ille, si intelligatur Pseudo Dorotheus (sec. V. medio post C. N.), Epiphanii (sec. IV medio) libellum, Isiodorus autem Hispalensis (ineunte sec. VII) illius scripta cognoscere potuit. Locum utriusque apponamus, quo dicta melius intelligantur; iisque narrationem, quae in Martyrologio Romano, cujus fons maximam partem fuerunt Isiodori scripta, adjungamus.

Dorotheus.	*Isiodorus.*	*Martyrologium Romanum.*
Hunc Amasias crebro verberavit. Sed tandem filius eum, clavo (clava) temporibus capitis percussis, necavit: spirans adhuc in terram suam percussus venit, post duos vero dies mortuus, ibique sepultus est.	*Amos*, id. est, *populus avulsus*, quem Amasias Rex frequenter plagis affecit. Novissime Ozias, filius ejus, vecte per tempora transfixo, crudeli morte necavit: tamen, semivivus evectus in terram suam, post aliquot dies, dolore nimio vulneris animam cunctantem efflavit: sepultusque est cum patribus suis.	Tecue in Palaestina, S. Amos Propheta, quem Amasias sacerdos frequenter plagis afflixit, et filius ejus Ozias vecte per tempora transfixit. Qui postea, semivivus in patriam devectus, ibidem exspiravit, sepultusque est cum patribus suis.

Dicta Cyrilli Alex. (in prooem. in Am.), quae huc referuntur a Carpz. (l. l. III. p. 521.) *Amasias ἐπέτριζε τῷ προφήτῃ τοὺς ὀδόντας*, potius vertam, *stridebat dentibus in Prophetam*, ut iram et dedignationem ostenderet.

Traditiones Epiphanii non raro contradicunt Hebraeo Codici. Quod saepius ex locis, non bene intellectis, et perperam collatis, ut vidimus, suam originem repetit. Codex A. etiam, illo, quo usus est Petavius, Zachariam, Joasi, Judaeorum Regis aequalem, cum recentiore Propheta permutavit (l. l. II. p. 149). Neque omittenda sunt in hac collatione ea, quae de Jona narrantur. Verum quaestio de traditionibus illis am-

amplior est, quam ut h. l. pertractari possit. Dicta nunc sufficiant. Vidimus res ipsas in iis misere interdum contortas esse: quas expedire non facilius est, quam vera a falsis discernere. Quod vix bene fieri potest, nisi antiquitatis ingenium ejusque indolem penitus perspecta habeamus. Ceterum de veteribus, qui de Prophetis egerunt, breviter exposuit Carpzovius l. l. III. p. 85.

Itaque haec de Amosi morte traditio a plerisque accepta et longe lateque propagata est. Quare non miramur Ecclesiam Romanam, eum inter Martyres collocasse in Martyrologio, eique consecrasse diem 31 Martii. In nonnullis tamen ejus libri exemplis nomen Amosi reticetur (vid. Harenb. l. l. introd. p. 43). Graeci alium diem ipsi dederunt, 15 mensis Junii (Harenberg. l. l. p. 65). Eusebius et Hieronymus referunt, ejus sepulcrum ipsorum aetate adhuc Thekoae commonstratum fuisse. Hoc alii deinde etiam narrarunt Itinerarii, quin Maundrellio (1737) ab accolis, ut commemorat, accepit, illud esse in vico, monti imposito (ap. Harenberg. l. l. p. 78 coll. p. 65).

Veritatem hujus traditionis alii in dubium vocarunt, negarunt alii. Quibus eo lubentius assentimur, quo probabilior ejusdem est origo, quoque magis repugnat haec cum indiciis, quae libro Amosi insunt. Quae cum accurate conferantur et dijudicentur, demonstrant, eum diu etiam post reditum ex regno Israëlis vixisse. Ut vero hanc quaestionem rite pertractemus, primo videndum est, quo tempore Prophetae munere fungi coeperit.

§. 6.

Tempus definitur, quo primum in publicum prodierit.

Ex cap. 7. hoc constat, Amosum, regnante Jerobeamo II, Bethele Prophetae instar in publicum prodiisse. Quod utrum tum primum fecerit, nec ne, dubitatur: quod tamen non verosimile est. Aeque incertum est, quando hoc Bethele factum sit. Inquirendum ergo restat, quonam tempore Prophetae munus adierit.

Fuerunt inter antiquiores, qui statuerent, Amosum, regnante Amazia, jam vaticinatum fuisse. In his Bar Hebraeus, et qui ex eodem, atque hic, fonte hausisse videtur, Elmacinus (27). Quo inspecto, hujus traditionis origo est in promtu. Error nimirum ex Amaziae Sacerdotis cum Rege Judaeorum permutatione sine dubio est derivandus (cf. §. 4). Minime vero haec traditio aliquam accepit auctoritatem,

eum ab Elmacino narretur. Cujus libro vel leviter perlustrato, dubitas, utram majorem dicas, credulitatemne ipsius in recipiendis cujuscumque generis narrationibus, an sordidam in Chronologia tractanda negligentiam. Ab illa vero labe neque Bar Hebraeus immunis erat. Traditionum sectandarum studium passim prodidit, ejusque indicia haud obscura saepius in Chronico dedit.

Missis igitur veterum Christianorum argutiis, adeamus inscriptionem, omnibus his traditionibus certe longe antiquiorem. Perhibet haec, eum vixisse *aetate Uzziae* et *Jerobeami II.* (בימי עזיה מלך יהודה ובימי ירבעם בן יהואש מלך ישראל). Secundum hanc definitionem, aetas, vel potius munus propheticum, ut dicitur, incidit in illud tempus, quo hi reges simul regnarunt; quod fuisse fertur intervallum 14 annorum: Uzzia enim regiam adeptus est dignitatem anno 27 regni Jerobeami (2 Reg. 15: 1); hic autem per 41 annos imperium tenuit (2 Reg. 14: 23). J. J. Schultensius (in Scholis MSS.) existimat, verosimillimum esse, Amosum duodecimum inter et vigesimum Uzziae regnantis annum vaticinatum esse. Sunt forte, qui huic sententiae objiciant, fieri potuisse, ut paulo ante quam hic Judaeorum Rex creatus sit, in publicum prodierit, eoque regnante hoc munus etiam professus sit. Gravior tamen est quaestio, a Dahlio (l. l. Einl. p. 5 seqq.) mota. Censet tempus, per quod uterque Rex simul regnaverit, intervallum fuisse circiter 26 annorum. Recepit enim 2 Reg. 15: 1 lectionem, secundum quam Uzzias, non *anno septimo et vigesimo*, ut exhibet textus receptus, sed anno *quinto decimo* regni Jerobeami Rex creatus esse dicitur. Atque *haec* lectio tot tantisque confirmatur argumentis, ut ipsi assentiri non dubitemus. Amazias nimirum imperavit per 29 annos (2 Reg. 14: 2), et Jerobeamus II imperium accepit anno 15 regni Amaziae (1 Reg. 14: 23). Uterque igitur simul regnavit per 14 fere annos; quod confirmatur loco 2 Reg. 14: 17, ubi Amazia post Joasi mortem per 15 annos etiam imperium produxisse fertur. Cum autem Uzzias, ex vulgari lectione, anno 27 Jerobeami, ad regiam provectus sit dignitatem, supersunt anni *duodecim*, per quos Judaei nullum Regem habuisse censentur. Quod ut probetur, Interpretes, in iisque Viri eruditione clari, putarunt, Judaeam, Amazia conjuratorum manu interfecto, turbis civilibus aliquamdiu commotam fuisse. Huc refertur etiam formula (2 Reg. 14: 21) *et sumsit universus Judaeorum populus* cet. et sic explicatur, Judaeos, vel Judaeorum partes, stirpe Davidis addictas, turbis sopitis, principem ex gente regia tandem Regem constituisse. Alii

ali-

aliter quaestionem solvere conati sunt (Carpzov. l. l. I. p. 266 seq.) Illa vero sententia, quamquam multa habet, quibus se commendet, neque verosimilitudini prorsus repugnat, tamen suis etiam, iisque non levibus, difficultatibus premitur. Non respicio Hebraeorum de turbis illis silentium. Nam quis est, qui dubitet, quin permulta in brevibus eorum Annalibus praetermissa sint? Sed hoc tantum in medium affero, ejusque rei judicium eruditioribus relinquo, utrum *formula illa* satis diserta sit ad hanc sententiam vindicandam, addita forte hoc loco, quoniam Uzzias, Amazia truculenta morte sublato, *non solenni more*, sed, rebus novis exortis, haud ita multo post *vi adhibita* regno admotus fuerit. Etiam hoc meretur expendi, num verosimile sit, Regem interfectum, bellis civilibus flagrantibus, sepultum esse in urbe Davidis; contra suspiceris, partes, Davidicae Dynastiae inimicas, si tunc temporis tantopere existimantur invaluisse, corpus mortuum eo honore non dignum censuisse (2 Reg. 14: 19, 20). Porro narratione uno tenore perlecta, et cum 2 Chr. 25: 27, 28 et 26: 1 collata, diceres fere, suspicionem augeri, haec omnia facta esse intra temporis non longi intervallum. Gravissimum omnium certo est argumentum, Chronologiam universam, retenta lectione recepta, mirifice turbari. Quae quomodo tunc bene expediatur, non video. Assumitur quidem v. c. (2 Reg. 15: 8), interregnum 24 annorum, quod post mortem Jerobeami intercesserit, antequam Zacharias, filius ipsius, Rex creatus sit. Sed et haec sententia non accurate convenit cum receptis Hebraei Codicis rationibus, ut cuique, locis laudatis perpensis, apparebit. Verosimilius est, illud interregnum per 11 annos durasse: siquidem verum sit, Jerobeamum anno Uzziae regnantis septimo et vigesimo mortuum esse, et retineatur lectio 2 Reg. 15: 8, cujus rejiciendae nulla est causa, quaeque refert, Zachariam anno ejusdem Judaeorum Regis 38 regno esse praepositum. Atque hoc traditionis auctoritas, cujus originem exploratam esse vellem, tuetur. Traditionem commemoravit Elmacinus (l. l.), de Uzziae regno exponens. Mentione de Jerobeamo facta, sic pergit: ومات في السنة السابعة والعشرين من ملك عوزيا بن اموصيا ملك يهودا ودفن بسامرة وخلا الملك بعده بغير ملك احد عشر سنة (l. احدي عشرة) وملك زكريا. *Mortuus est anno septimo et vigesimo regni Uzziae, filii Amaziae, Regis Judaeorum, ac sepultus est Samariae. Destitutum erat regnum post eum Rege per undecim annos. Tunc regnavit Zacharias.*

 Ab-

Abulfaragius ab Elmacino in eo dissentit, quod (hist. Dyn. ed. Poc. p. 61) referat, Jerobeamum mortuum esse *anno Usziae nono et vigesimo*: ex quo loco facile explicatur vitium Bar Hebraei (l. l. p. 24), narrantis Zachariam *eodem anno* patri successisse: siquidem illud *post eum* (بعده) ap. Abulf. hic de *tempore proximo* acceperit. Equidem scio, utrumque hunc Scriptorem vulgo unum eumdemque haberi (cf. Cl. Gesen, Einl. l. l. p. 6). At sequor Hamakerum, Virum Clarissimum, cujus rationes, quibus probat, hos diversos fuisse, tales sunt, ut lubenter iis acquiescam: quod omnes facturos confidimus, si quando Vir Summus, quod ipsi consilium est, eas publice exponat.

Lectionem vulgarem (2 Reg. 15: 1) tuentur omnes veteres Versiones, et Codd. Hebr. a Kennicotto collati. Codices tamen Graeci dissentiunt in ed. Holm., ex quibus duo (71, 245) pro receptis *ἐν ἔτει εἰκόστῳ καὶ ἑβδόμῳ* habent *πέντε καὶ δεκάτῳ*. Lectionis varietatem antiquissimam esse, probat forte Josephus, si sua ex Hebr., sive ex Graec. Codice hauserit. Legebat 14 *annos* (Antt. IX: 10. §. 3): *ὀζίας*, inquit, *ὁ τοῦ ἀμασίου υἱὸς ἔτος ἤδη τέταρτον πρὸς τοὺς δέκα βασιλεύοντος ἱεροβοάμου, τῶν δύο φυλῶν ἐβασίλευσεν*. Dahlius (l. l.) suspicatur primam lectionem טו (= 15) mutatam esse in כז (= 27). Constat saltem veteres Judaeos literis usos fuisse ad numeros exprimendos, cujus rei indicia cum ex nummis, tum ex collatione locorum (v. c. 2 Sam. 24: 13 in Hebr. mentio fit famis *septem annorum*, in Graecis vero *trium*, ut in loco parallelo 1 Chr. 21: 21) protulit Cl. Gesenius (Geschichte der Hebr. Spr. cet. p. 173 seqq.) post Eichhornium, Beyerum, alios. Itaque non miramur litteras illas aliquando, qua de causa nescio, esse permutatas; minus est forte literarum, numeros illos indicantium, in antiquissima Hebraeorum scriptura discrimen. Quidquid sit numerus 15 *annorum*, computandi rationem Judaeorum, annorum partes pro anno integro habentium, spirat, nec recentiorum Christianorum maxime, quibus numerus 14 annorum potius convenit, ingenium redolet.

Quae cum ita sint, temporis intervallum, per quod Uzzias et Jerobeamus simul regnaverunt, non 14 sed 26 circiter est annorum. Cum ergo quo longius sit spatium illud, eo difficilius fiat tempus, quo prodierit accurate definire, addita in inscriptione verba perpendi merentur. Sunt haec שנתים לפני הרעש, id est, (verbum Jehovae, quod vidit) *anno secundo ante terrae motum*. De usu Accusativi hoc sensu exposuit Cl. Gesenius in comm. ad Jes. XX: 3 (III. p. 646). Praeterea haec temporis nota non ad primam modo orationem est referenda, sed ad totum librum. Si

Si illud voluisset inscriptionis auctor, sine dubio reliquis orationibus accuratiorem temporis definitionem praemisisset, cujus rei multa indicia, Jesajae, Jeremiae, aliorum Prophetarum scripta praebent. Hujus inscriptionis auctor id tantum egit, ut, his additis, praecedentia magis restringerentur.

Perperam igitur statuit Abarbenelus (ap. Carpz. l. l. III. p. 528), verbis laudatis totum temporis spatium, intra quod Prophetae munus gesserit, significari. Ejusdem sententiae patronus laudatur a Carpz. l. l. Chaldaeus interpres, quod tamen ex ipsius versione immerito collegit. Idem vero diserte professus est ex veteribus Christianis Theodoretus (ad h. l.): *τοῦτον*, inquit, (*σεῖσμον*), *ἔφη* (inscriptio) *μετὰ δύο τῆς προφητείας ἐνιαυτοὺς γεγενῆσθαι.* Ex recentioribus permulti: in his Arias Montanus, quem Vulgata versio in errorem duxisse videtur.

Nec magis probanda est alia eorumdem verborum interpretatio: *ante duos annos terrae motus*: quae nonnullos, quos Marckius recenset, (in comm. p. 235. ed. 4. form.) in opinionem perduxerat *terrae motum per duos annos durasse et Amosum ante hoc tempus indefinite prodiisse.* Illam versionem sequitur Arabs, h. l. servilis Graeci Codicis interpres: quamquam ipsi Graeci aliam prorsus fovisse videntur sententiam. Hi enim reddiderunt *πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σείσμου*: quae formula melius certe intelligetur, si transponas vocabula, *δύο ἔτη* vel *ἔτει δευτέρῳ πρὸ τοῦ σείσμου.* Dicendi ratio explicanda est ex idiotismo, Hellenistis imprimis usitato, cujus exemplum, ab omni parte simile, exstat Joh. 12: 1: *ὁ οὖν Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμέρων τοῦ πάσχα ἦλθεν εἰς βηθανίαν*, pro *ἓξ ἡμέρας* vel *ἕκτῃ ἡμέρᾳ π. τ. π.* Nam Paschatis festum non per *sex dies* durasse, cuique notum est. Quod etiamsi verum esse posset, illud *sex dies* admodum frigeret. Omne dubium tollit collatio versionis Alexandrinae Amos 4: 7, ubi verba *et retinui a vobis pluviam* בעוד שלשה חדשים לקציר, reddita sunt *πρὸ τριῶν μηνῶν τοῦ τρυγήτου*, idest *τρεῖς μῆνας π. τ. τ.* Intelliguntur nimirum finis mensis Februarii, Mars et Aprilis initium, per quos *pluvia serotina* cadebat, quae fruges crescentes ad dimetendum aptas reddebat. Dictis addendus est locus. 2 Macc. 15: 36, ubi populus diem festum instituisse narratur in memoriam victoriae, quam Judas Maccabaeus de Nicanore, Syrorum Regis praefecto, reportaverat: *ἔχειν δὲ ἐπίσημον τὴν τρισκαιδεκάτην τοῦ δωδεκάτου μηνὸς Ἄδαρ — πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Μαρδοχαϊκῆς*: cum quibus cff. Graeca. Esth. 9: 17. (Vidd. porro Vater. ad h. l. et F. Vigerus de Idiotism. ed. Heum. Lips. 1813. p. 657). Eadem ratio obtinet in Latinorum *pridie* v. c.

ka-

kalendas, id est *pro die kalendas*, id est, *die pro kalendis;* si verum sit, illud *pri* idem esse atque *pro*, particulam obsoletam, cujus vestigium superest in Graeco *πρὶν*. Itaque rejicienda L. Cappelli (Crit. Sacr. p. 568.) opinio, conjicientis Vulgatam verba illa transposita in Hebr. legisse. Quae, ne dicamus nullum ejus permutationis vestigium in veterum Versionibus et Codd. repertum esse, linguae etiam regulis adversatur. Tunc enim pro "ל״ שנתים ה״" restituendum esset "ל״ שתי שני ה״". In Vulgata enim h. l. Graeca verbotenus sunt reddita (*ante duos annos terrae motus*), et sic etiam Joh. 12: 1 (*ante sex dies Pascha*) et 2 Macc. 15: 36) *pridie Mordochaei diei*). Sed Amos 4: 7. Hebraeorum verborum sensus ibidem sic bene exprimitur: *cum adhuc tres menses supersint usque ad messem.*

§. 7.

Terrae motus tempus, — descriptio.

Inepta est sententia nonnullorum (apud Marck. l. l. p. 255) non *terrae motum*, sed *motus civiles* intelligentium. Veteres Hebraei opinati sunt, illum terrae motum accidisse anno 25 regni Uzziae, eodem tempore, quo hic templum ingressus erat ad suffimenta in ara Jehovae adolenda. Quod cum Jehova indigne tulisset, hac re animi, ira commoti, indicium dederit. Putant praeterea illum terrae motum etiam intelligi Jes. 6, ubi verba *anno mortis Uzziae* suo modo explicant *de anno, quo lepra sit affectus*, cujusmodi homines *civiliter mortui*, ut ajunt, habentur. Hanc opinionem amplexi sunt Chaldaeus, Saadias, Jarchius, Abarbenelus, Kimchius (vidd. Cl. Gesen. einl. in Jes. p. 5, 77, 120 seqq. Comm. ad Jes. 6: 1. et 7: 8, 9). A Judaeis illam Christiani receperunt. Hieronymo nimirum non latebat (ad Jes. 7: 8 et Zach. 14: 4, 5) neque Eusebio et Cyrillo et Theodoreto (ad h. Zach. l.). Ejusdem sententiae patroni inter recentiores fuerunt haud pauci (Carpz. l. l. III. p. 327). Usserium, Amosum vaticinia locutum esse existimantem anno mundi 3219, ante C. N. 781, refutavit Ligtfootus (Opp. I. p. 91), contendens, motum illum factum esse anno mundi 3212, regni Uzziae 12, Jeroboami 38. Collato cap. 7, quo Jeroboamus adhuc vixisse narratur, ejus vaticinia ad postrema ejus Regis tempora referre non dubitat, eumque motum ab Amoso cap. 5: 15 et 9: 1 praedictam, et indicatam esse suspicatur (ibid. p. 95). Alios mittimus. Veteres, qui dictam amplexi sunt opinionem, Theodoretus (ad Amos 1: 1) merito, vocat *τοῖς χρόνοις οὐκ*

ἀκρι-

ἀκριβῶς προσεσχηκότας. Aben Esra hanc e traditione, *ex Cabbala, non e S. Scriptura* (Drusius ad Am. 1: 1) repetit. Repugnat autem illa Judaeorum sententia Codici Hebraeo, nisi receptam, 2 Reg. 15: 1, lectionem commutes, et Amosum anno altero ante illum terrae motum prodiisse neges. Nam Jothamus, cum pater, lepra affectus, non amplius regnum tenere posset, statim imperii administrationem suscepit. At vero secundum illorum argumentandi rationem Uzzias anno regni Jerobeami 27 regnare coepit, 16 annos natus: quo facto tempus, quo hic cum Jerobeamo simul regnavit, est intervallum 14 annorum. Amosum autem anno altero ante illum terrae motum prodiisse etiam contendunt. Vix igitur compleverat Jothamus hoc tempore annum 14, etiamsi statuas, eum paulo post patrem, regem creatum, natum fuisse; atque hac aetate regno administrando forte impar erat. Videant igitur Judaei, quomodo, his omnibus retentis, suam opinionem cum Chronologia concilient, si terrae motum cum lepra Uzziae conjungant, eumque anno regni ejus 25 accidisse ferant. Huic vero temporis notae cum veri quid inesse videatur, quaestio accuratius perpendi meretur. Ac primum quidem videamus, quaenam ex antiquitate de illo terrae motu nobis innotuerint; deinde quare Judaei hunc cum lepra, Uzziae inflicta, junxerint: denique, quid igitur secundum hanc hujus libri inscriptionis definitionem statuendum sit de tempore ipso, quo Amosus, Propheta, in publicum prodierit.

I. Illius terrae motus nulla fit mentio 1 Reg. 15: 4, 5 et loco parallelo, ubi eadem latius enarrantur, 2 Chr. 26: 16 — 21. Solus locus, quo is diserte commemoratur, est Zach. 14: 5. Putavit quidem Eusebius (Dem. Euang. VI: 18. ed. Colon. p. 291), Amosum illum descripsisse cap. 9: 1; quem locum tamen nemo, ut credo, hodie huc referat. Siquidem illum aliquando ob oculos habuerit, et motus ille tam vehemens fuerit, quam veteres tradiderunt, potius suspicareris ejusdem eventui tribuendam esse urbium eversionem, ad quam respexit 3: 11: quod eo verosimilius est, quia vs. 13 Jehovae majestatem depingens, Eum, *montes terrae calcantem* describit, qua imagine apud Prophetas saepissime *motus ejusmodi* adumbrantur. Schroederus (in Scholis M. S. S. ad Am. 1: 1) opinatur *magnum hominum numerum* hac opportunitate periisse, ex collatione Jes. 5: 25, quem locum huc etiam traduxit Cl. Gesenius in comment. (I. p. 246). Nec mirum est; Jesajam, cujus aetate illud omnium mentibus inhaeserit, tale quid respexisse. Idque magis credibile est, quoniam Chaldaeus interpres, qui circa aetatem J. C. vixit, in ejusdem memoriam etiam recurrit, ejus-

que

que disertam mentionem facit ad Jes. 28 : 21. Praeterea tam graves fuerunt hac occasione calamitates, ut poeta (Zach. l. l.) suas imagines exinde desumsisse, et Josephus, ex hoc iterum loco, descriptionem, quam de motu illo dedit, exornasse videantur. Utrumque locum igitur perlustremus, deinde, quid probabiliter acciderit, colligamus, idque collatis ejusdem rei in Hebr. Cod. indiciis, adstruamus.

Mons Olivarum, ab oriente Hierosolymorum e regione templi situs, valle Kedronis ab hac urbe erat separatus. In longitudinem a meridie ad septentrionem patet et tres habet vertices, quorum vertex septentrionalis est altissimus (Rel. Pal. I, p. 338. Cl. Rosenm. handb. l. l. II B. 1 th. p. 119. Cl. Gesen. in comm. ad Jes. 22: 1 p. 679). Haec bene sunt tenenda in explicando loco utroque, et mittendae ad Zach. l. Hieronymi, Eusebii, aliorum, allegoriae, de Christo in coelos sublato, et quae sunt hujus generis plura; etiam Theodoreti de captis Hierosolymis interpretatio. Poeta civibus suis, tunc licet ad summas angustias redactis, laetiora tempora depingit. Capta est urbs, vel potius in eo est, ut capiatur, nec tamen de salute recuperanda desperandum esse monet. Hostes urbem undique cingunt, eique ab omni parte imminent, nec tamen causa est desperata, non omne auxilium rescissum. Urbi, jamjam ab hostibus prorsus occupatae, Jehova, hostilem exercitum ad internecionem usque deleturus, succurrit, eumque sequuntur agmina, agmina Sanctorum. In monte Olivarum, amplissimo et latissimo, urbi universae, reliquisque longe lateque circumjacentibus tractibus imminenti, hostes castra erant metati. Procedit Jehova, atque huic monti (ut Ezech. 38 : 19, 20) pedem imponit. Cuncta commoventur et evelluntur, mons scinditur, saxorumque mole obrutus, totus exercitus perit. Vallis existit, *vallis montium* (גיא הרי sic redditur a Chald. et Syro, idque recte; vid. Cl. Gesen. lehrgeb. I. p. 523). Quae ne aditum ad urbem secludat, denuo impletur. Sic haec cum proximis videntur cohaerere. Neque dubito, quin initio versiculi recipienda sit lectio ונסתם *et obstruetur*, quam tamen Alexandrini, Arabs et Symmachus perperam per totum versum retinuerunt; nec melius egerunt Syrus et Vulg., qui perpetuo נוס legerunt. Optime omnino Chaldaeus *illud* recepit in initio, *hoc* in sequentibus, eumque sequitur recensio Judaeorum Orientalis (vidd. Drusius et de Rossi ad h. l.). Praeterea observandum est, verba כי יגיע גי הרים אל אצל ונסתם כאשר נסתם מפני הרעש בימי עזיה מלך יהודה speciem prae se ferre glossae, a librario, primum ונסתם in initio versiculi ad radicem נוס referen-

renti, olim margini adscriptae. Sic saltem intelligitur, quare Poeta scripserit הרי, alter ille הרים. Neque etiam, si quis in comm. 4, verba אשר על פני ירושלים glossis annumeret, repugnabo. Quam incommode enim haec omnia Poetae orationi sint inserta, quisque, ut puto, sentit. Quae si sint omissa, non desiderantur ad amplificandum sensum, qui, si vel absint, integer est et egregie procedit. At vero, si conjectura non placeat, cui confirmandae nulla, quantum scio, superest auctoritas (28), animadvertendus est lusus verborum in נוס et שׂחם, cujus haud pauca specimina in Hebraeorum Vatum scriptis reperiuntur. Ceterum de ejusmodi conjecturis, auctoritate licet destitutis, egit Cl. Gesen. einl. l. l. p. 44.

Locus Josephi exstat Antt. IX: 10. 4, quem etiam descripsit Eusebius (Dem. Euang. 4, l. p. 291.), apud quem tam leve est discrimen, ut locus integer fere ad nos pervenisse videatur. Josephus, postquam Uzziam, peccata patris sequentem (qua de re in Hebr. Cod. nihil legitur) perstrinxit, narrat, eum festo die, totique populo sacro, veste sacerdotali indutum, templum ingressum fuisse et in ara Jehovae aurea thura adolevisse. Quod cum aegre ferret Sacerdos summus, hic, ab 80 sacerdotibus adjutus, prohibere conatus est, quominus Rex illud facinus perpetraret. Interea, sic pergit, *σεισμὸς ἐκλόνησε τὴν γῆν μέγας* (*μ.* omittit Eus.) *καὶ διαστάντος τοῦ ναοῦ, Φέγγος ἡλίου* (*ἡλ.* Eus. omittit) *λαμπρὸν ἐξέλαμψε, καὶ τῇ τοῦ βασιλέως ὄψει προσέπεσεν, ὡς τῷ μὲν εὐθέως λέπραν ἐπιδραμεῖν. Πρὸ δὲ τῆς πόλεως, πρὸς* (Eus. perperam *πρὸ*) *τῇ καλουμένῃ ἐρωγῇ τοῦ ὄρους ἀποῤῥαγῆναι τὸ ἥμισυ τοῦ κατὰ τὴν δύσιν, καὶ κυλισθὲν τέσσαρας σταδίους ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν ὄρος στῆναι, ὡς τάς τε παρόδους ἐμΦραγῆναι* (Eus. *ἐμΦραχθῆναι*) *καὶ τοὺς παραδείσους τοὺς βασιλικούς.*

Quoniam hic non est disputandi locus, de fide, ut ajunt, historica, Josepho tribuenda, potius referam ad eos, qui hanc pertractarunt quaestionem (29). Fatendum est omnino eum ornandi studio nimis subinde indulsisse, et verius est acutum Chrysostomi dictum, *'Ιώσηπον λέγω, τὸν καὶ τὰς συμΦορὰς αὐτῶν* (*'Ιουδαίων*) *τραγῳδήσαντα, καὶ τὴν παλαιὰν διαθήκην περιΦράσαντα πᾶσαν.* (in serie testim. ed. Haverk. praemissa No. 54). At fictis vera haud raro inesse, nemo est, qui neget. Cavete imprimis, ne cuncta rejiciatis, quorum nulla fit mentio in Hebr. Cod. Nam praeter Libros Sacros, diligenter traditionem consuluit, quam accepit vel narratione, ore propagata, vel, potius fortasse ex libris. Eusebius (l. l.) ad finem perducta, de lepra, Uzziae inflicta, narratione, sic pergit: *τοῦτο μὲν οὖν ἡ βίβλος τῶν βασιλείων παρί-*

 στη-

στησιν· ὁ δέ γε, Ἰώσηπος καὶ τὰς ἔξωθεν Ἰουδαϊκὰς δευτερώσεις ἀπηκριβωκὼς, ἅτε ἑβραῖος ἐξ ἑβραίων τυγχάνων. H. l. *δευτερώσεις* videntur esse ea, quae adjecta sunt librorum historicorum V. T. narrationibus, quae, scripto mandata, idem nomen acceperint, quod datum est iis, quae Legi Mosaicae sunt addita, et deinde Mischna atque etiam *δευτερώσεις*, vocabantur. Si autem haec, ut nonnulli suspicantur, Graece sunt reddita (vid. Cl. Gesen. Geschichte l. l. p. 80) illa eadem sorte gavisa esse, nihil obstat, quod statuamus. Quidquid assumatur, Josephum praeter Libros Sacros, alia quoque populi sui scripta adiisse, misso Eusebio, ipse testatur: *ἐγὼ δὲ*, inquit, *καὶ ἐν τοῖς ἐπιχωρίοις ἡμῶν βιβλίοις εὗρον, ὅτι μετὰ Φαραῶνα, τὸν Σολομῶνος πένθερον, οὐκ ἔτι οὐδεὶς τοῦτο τὸ ὄνομα βασιλεὺς Αἰγυπτίων ἐκλήθη* (Antt. VIII: 6. 2). Quae utrum cum historia consentiant, nec ne, nunc non quaerimus. Illud certe exinde constat, nisi, eum mentitum esse, dicas. Neque etiam eorum librorum maximum pretium fuisse, verosimile est, quoniam maximam partem constitisse videntur traditionibus: quae, nullam certe probandi vim habent, nisi antea penitus exploratae sint. Minime vero mirandum est, Josephum traditionem anxie prosecutum esse, cum ingenium ipsius, Judaicae superstitioni maxime addictum fuerit. Cujus propensionis permulta dedit specimina, ex quibus hoc unum attulisse sufficiat, quod in enumeratione praeceptorum Decalogi, Judaeorum more *sensum* ejus, non *verba* tradat: *οὓς* (*λόγους*) inquit, *οὐ θεμιτόν ἐστιν ἡμῖν λέγειν φανερῶς πρὸς λέξιν* (Antt. III: 5. 4).

Neque dubitandum est, quin narratio, supra commemorata ex traditione, fortasse ex libro, eam continente, fluxerit. In multis, ut quisque videt, haec cum dicta Judaeorum sententia, convenit. Bar Hebraeus et Abulfaragius, etiam Elmacinus, eorum commenta licet subinde tradentes, haec vel leviter tractarunt, vel prorsus omiserunt, (cf. Cl. Gesen. Einl. ad Jes. p. 6, 7). Ex Patrum scriptis imprimis conferri meretur Cyrillus Alex. in Comm. ad Zach. l. l. (ed. l. p. 797), *περιεικάζει* (*ὁ προφήτης*), inquit, *γὰ μὴν τὸν ὧδε διαβριθῆ σεισμὸν τῷ γεγενημένῳ κατὰ καιροὺς ἐπὶ Ὀζίου, τοῦ καὶ Ἀζαρίου. Ἐπειδὴ γὰρ τοὺς τῆς βασιλείας διέπων θώκους ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἅτε δὴ καὶ ὑπάρχων ἐκ τῆς Ἰούδα φυλῆς, τετόλμηκε παρανόμως τῶν τῆς ἱερωσύνης ἅψασθαι λειτουργιῶν, λελεπρῶσθαι μὲν εὐθὺς, θεοῦ δὲ δὴ τότε τὴν ἐπὶ τούτοις ὀργὴν ἐμφαίνοντος, κατεδονήθη δεινῶς τῶν Ἰουδαίων ἡ χώρα, καὶ αὐτὰ καὶ τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ δὴ καὶ φασὶ τὸ ὄρος τὸ Σιὼν τοσοῦτον ὑπομεῖναι κλόνον, ὡς ῥαγῆναι μὴν εἰς δύο τμήματα, ἐμφραγῆναι δὲ ταῖς παρακειμέναις φάραγξι, τὰς κορυφάς.*

At-

Atqui huic traditioni veri quid subesse, ejusdem propagatio, si sola spectetur, non quidem probat: at alia sunt, quae dubitare non sinunt, quin gravis terrae motus, Uzzia regnante, revera acciderit. Ita enim comparata est Josephi narratio, ut prorsus ficta esse non possit. Accuratius nonnulla sunt definita. Fateor, quaedam translata esse videri ex Jes. 6, quod a veteribus Judaeis, ut vidimus, ad hoc tempus relatum est (30). Concedo quoque locum Josephi universum sua accepisse ornamenta ex Zach. l. l., cujus *verba* non *sensus* a Josepho intellecta sunt. Verum instituta inter utrumque, et hunc et Josephi locum, comparatio accuratius forte indicat, quid tunc probabiliter factum sit. Quod melius perspiciatur, si certiores simus, quomodo explicanda sint haec כי יגיע גי הרים אל אצל (in loco Zach.). Graeci interpretes in verbis אל אצל reddendis haeserunt, hoc literis Graecis rescribentes. Probabile est, eos subinde solas literas, omissis vocalibus tali in casu reposuisse. Sic saltem facile explicari potest Codicum Graecorum varietas. Prima igitur lectio videtur fuisse ΑΖΛ, quae facillime in ΑΖΑ et ΑΖΔ commutari potuit. Quae tria originem forte dederunt triplicis generis variantibus lectionibus. Vocales antiquitus adjectae sint a librariis, aliae ab aliis. Hinc ille dissensus. Ex *hoc* igitur promanavit lectio, quae in Cod. Vat. tantum invenitur, ἰασόδ, et in Vers. Ar. (ياصود), quibus proxime convenit Cod. 23. ἰασόδλ. Ex *isto* fluxit ἰασὰ (Cod. Barb.) et ἰάσσα, ap. Theodoret., et in Codd. 22 (a prima manu, quod dein in ἀσαὴλ est mutatum), 51, 86, 147, 251, 238: ex hoc iterum originem suam duxit ἰάσασα (Cod. 62). *Illud* fons sit lectionis antiquissimae, Origenis certe aetate omnium frequentissimae, eamque ob causam ab eo in Hexaplis receptae, lectionis nimirum ἀσαὴλ, quod Euseb. l. l., Cod. Alex. et alii quam plurimi (XII, 26, 40, 42, 49, 68, 87, 91, 97, 106, 198, 228, 239, 240, 310 et Cod. Vers. Arm.) expresserunt. Ejusdemque indicium prae se fert illud ἰασόδλ; etiam Aquilae et Theodotionis versiones; de quibus sic Hieronymus ad locum Zach.) *Aquila*, inquit, *ipsum verbum Hebraicum posuit; per e brevem literam*, ἀζὲλ: *Theodotio* per extensam ἀζήλ. Minus facile explicatur lectio Josephi ἐρωγὴ, ut legitur in ed. Vulg. pro quo in solis Codd. Big. et Gall. 1, a manu secunda repositum est ἐῤῥωγὴ. Vulgaris lectio in omnibus Codd. reperitur, eaque, jam ab Eusebio lecta, antiquissima esse videtur. Alii alio modo hoc vocabulum interpretari conati sunt (vid. Haverk. ad h. l.) Opinio L. de Dieu legentis στεῤῥάγη, egregie potest defendi ex repetita ultima vocis praecedentis Ἰως litera. Illud

enim

enim in Vers. Alex. h. l. exstat. Ita etiam lectiones ἰωὲ γασαὴλ, (in Codd. 150, 511) et ἕως σαὴλ (253) ortae sunt. Minus bene σιφάγη, ex Hebr. Vir ille explicare conatus est, per שער הגיא *porta vallis*. Potius existimem Josephum h. l., ut alibi saepius Graecum Codicem esse secutum, admodum corruptum, cujus indicia haud semel in scriptis ejus reperiuntur.

Quot lectionis varietates Hebraei vocabuli Graeci Codd. offerunt, tot fere ejusdem apud alios interpretes sunt explicationes. Chaldaeus voc. Hebr. retinuit. Hieronymus, Symmachum secutus, nomen appellativum intellexit, vertens *ad proximum*. Syrus habet ܠܥܘܩܐ *ad angustias*, ad *locum*, ut videtur, *angustum*. Alii, in his recentiores, Tremellius, v. c. et Junius, *ad montem, quem selegit*. Alii melius illud per *nomen proprium* reddiderunt, nec tamen, quid indicatum sit, monuerunt. Imprimis conferri meretur, Mich. 1: 14, quo loco mentio fit τοῦ בית האצל. Nec dubito, quin hic idem, qui in loco Zach., sit locus. Illud אצל non procul Hierosolymis aberat, ut ex Zach. 14 non improbabile est; et in loco Michae Assyriorum, duce Sanheribo, exercitus, *prope* urbis sacrae *muros* accessisse fertur (v. 9 et 15): qua opportunitate capta esse dicuntur oppida permulta, in meridionali Judaici regni parte sita. Sanheribus ipse erat Lachide (cf. 1: 13 cum 2 Reg. 18: 14 seqq.). Oppidum אצל, hac occasione et deinde saepius captum et vastatum, tandem in vicum ignobilem mutatum est. Ejusdem mentionem fecerunt Cyrillus Alex. (l. l.) ἀσαὴλ, inquit, κώμη δὲ αὕτη πρὸς ἐσχατιαῖς, ὡς λόγος, τοῦ ὄρους (Olivarum nempe) κειμένη. Similis nominis vicus commemoratur apud Sozomenum (hist. Eccl. III: 14 ed. Val. p. 520), inter viros Sanctos ἀναφίωνα, τὸν ἀπὸ ἀζαλίας, referentem, et apud Nicephorum, locum illum ἀζαλίαν vocantem (Hist. Eccl. IX: 15. Rel. Pal. II. p. 586).

Quinam praeterea motus illius eventus fuerit, non nisi ex conjectura, locis laudatis perpensis, describi potest. Nam quis est, qui montis Olivarum conditionem ante hoc tempus accurate definiat, cum ex recentiorum demum relationibus *hodiernam* montis formam cognitam habeamus, et Hebraei etiam hujus tractus descriptionem nusquam, quantum scio, dederint. Hoc autem constat, montem illum hac occasione scissum fuisse, fissuram saltem accepisse, et rupes, avulsas et disjectas agros circumjacentes devastasse. Neque ausim definire, *quorsum* et *per quasnam terras* ejusdem motus vis sese exseruerit. Conjecit quidem Ligtfootus (Opp. II. p. 175 seqq.) lacum *Schirbonis* (שרבין) tunc exstitisse. Quod ut probet, ad nominis significationem,

nem, (*ardorem*), et lacus naturam, mari Mortuo similem, provocat, et locum Amosi (4: 11) cum Jos. 1: 9 comparat. At nemo saltem hanc opinionem amplectetur, qui novit, illud nomen esse Aegyptium, et locum illum, qui in Mythologia hujus gentis magnas partes agit, antiquissimo tempore sine dubio jam exstitisse (vid. M. Champollion. Viri ill. l'Egypte sous les Pharaons II. p. 306).

A verosimilitudine non abhorret, Templum tunc temporis, motus illius vim expertum fuisse. Fortasse una ex portis ejus corruit cum muri parte. Jothamus enim 2 Chr. 27: 3 aedificasse vel restaurasse dicitur, murum העפל (collis), quod nomen erat Orientalis montis Sionis lateris (cf. Cl. Gesen. in voc.), cui *mons olivarum*, non longo intervallo, e regione erat oppositus. Illud quod attinet, idem ille Rex 2 Reg. 15: 35 fertur *aedificasse*, vel *restaurasse* (בנה) את שער בית יהוה העליון, *portam Templi superiorem*. Atque conferri meretur Josephi narratio (Antt. IX: 11, 2) *στοὰς μὲν τὰς ἐν τῷ ναῷ ἱδρύσας καὶ προπύλαια, καὶ τὸ καταπεπτωκότα τῶν τειχῶν ἀνέστησε* (Jothamus).

§. 7.

Quaestio de tempore, quo Amosus Propheta prodierit, absolvitur.

II. Ad alteram quaestionis partem progressi sumus, quae rationem exponat, quare Judaei illum terrae motum cum lepra, Usziae inflicta, conjunxerint.

Quamquam motus ille, propter gravissimas imprimis, quas intulit, calamitates traditione maximopere celebratus, et per tempus longissimum pervulgatus est, annus, tamen, quo acciderit, in oblivionem abiit. Quod eo facilius potuit fieri in regione, haud raro obnoxia ejusmodi motibus, quorum alii aliis sunt graviores. Hanc ob causam Hebraeorum Poetae descriptiones suas iis saepissime exornarunt (cf. Ps. 29. Ezech. 38, 19, 20 cet.). Anni illius oblivio eo minus mira est, cum veteres Hebraei accuratam temporum definitionem plerumque non curaverint, et Judaei recentiores Chronologiae studium vel prorsus fere neglexerint, vel ita tractaverint, ut melius fuisset, si id totum omnino missum fecissent. Accedunt eorumdem propensio, qua mira miris cumulare ament, anxia religio et gravis superstitio. Itaque optime meriti esse sibi videbantur, quando motum illum cum facto Uzziae, Templum et Sacerdotium, ipsamque adeo Religionem violantis, componerent. Ita nimirum comparatum est Judaeorum ingenium, ut in gravissimarum calamitatum descriptio-

tione horrenda horrendis subjungant. Observatur hoc Jes. 5: 25. Matth. 24: 7. Marc. 13: 8. Luc. 21: 10, 11 ubi σεισμοὶ suum locum tenent. Etiam in Apoc. 16: 19, qui locus ex Zachariae l. l. etiam amplificatus est, finditur ἡ πόλις ἡ μεγάλη εἰς τρία μέρη et (v. 20) πᾶσα νῆσος ἔφυγε, καὶ ὄρη οὐχ εὑρέθησαν.

III. Hoc unum superest, ut inquiramus, quid tandem secundum hanc hujus libri inscriptionis definitionem statuendum sit de tempore ipso, quo Amosus, Propheta, in publicum prodierit.

Ex dictis hoc apparet, et regnante Uzzia, eoque quidem in temporis spatio, quo hic cum Jerobeamo simul regnaverit, motum illum esse ponendum; et ineptam esse Judaeorum, illum cum lepra Uzziae conjungentium, opinionem. At vero annus ille qui ab iisdem statuitur, annus 25, aliquam veri speciem prae se ferre videtur. Undenam enim talis accurata definitio? Num temere assumta esse censenda est? Alto supercilio, et quasi ex tripode illud contendere et affirmare, faciant illi, qui Alexandri instar, ut ajunt, Gordii nodum rescindant; non qui nexus prudenter moderatoque animo solvant. Habet etenim illa definitio suam quoque originem, habet revera, etiamsi traditionis fons non sit in aprico, plura quibus se commendet, adeoque magni est pretii in Chronologia constituenda, quae ceteroquin in obscuro latet. Quinimo, quid obstat, quominus teneamus anno illo motum illum accidisse? Hunc accurate saltem noverat, idemque, ut videtur, tempus ob oculos habuit, auctor inscriptionis: quae quoniam ea aetate, qua hic liber ab Alexandrinis versus est, jam existebat, Judaeorum scriptis, in quibus annus ille ponitur, certo est antiquior (Cl. Gesen. einl. l. l. p. 5).

Accedit porro *alia* traditio, quae confirmet, Amosum anno Uzziae circiter 25 prodiisse. Exstat illa in *Baba Bathra* fol. 14. col. 2, eumque locum descripsit Cl. Gesen. l. l. p. 4. *Quare*, sic loquuntur Rabbini, *Hoseas primum locum tenet? quoniam*, *inquit Rabbi Jochanan*, *primus fuit* 4 *Prophetarum*, *qui eodem tempore vaticinati sunt*, *Hoseas nempe*, *Jesajas*, *Amosus et Michas.* Amos igitur *post Jesajam* suum locum tenet. Neque hoc repugnat traditioni, quam Abulfaragius (hist. dyn. ed. Poc. p. 60) et Bar Hebraeus (in Chronico p. 24) narrarunt. Ferunt enim Jesajam, anno regni Uzziae 24 dotibus Propheticis fuisse destitutum, quoniam Regem a sacrificando non avocaverat: illum vero jam antea per annos 24. vaticinatum esse: quod tempus cum initio regni Uzziae convenit. Quaenam

nam hujus traditionis origo fuerit, non assecutus sum; sed hoc illa diserte docet, Jesajam longe ante Amosum Prophetae officiis functum esse. Nolim tamen, ut utriusque Scriptoris, Rabbinorum etiam verbis major, quam par est, fides habeatur. Sentio enim, si vera narrat inscriptio, praefixa Jes. 6, ubi describitur, quomodo Jesajas inauguratus sit, (quod semel certe accidit), traditionis illius auctoritatem penitus infringi: recte nimirum verba inscriptionis illius *annus mortis Uzziae* proprie explicantur (cf. Cl. Gesen. l. l. p. 4 seq.). Hoc vero observandum est non modo mirum illos Scriptores inter et locum illum Talmudis esse consensum, sed etiam veri quid certe latere in iis quoque traditionibus, licet non certi simus, quid rejiciendum, quid recipiendum sit. Jesajam ante Amosum, siquidem hic dicto anno prodierit, vaticinatum esse, confirmant praeterea testimonium Eusebii (in Chronico), Jesajae muneris Prophetici initium statuentis anno Uzziae 22°; et inscriptio, Arabicae cap. 6. Jes. Versioni praefixa: *lectio, exhibens visionem, quam Jesajas, filius Amosi, vidit, postquam dotibus Propheticis per tres, vel ut alii perhibent per 30 annos destititus fuerat.* Quorum auctor, Rabbinorum placitis imbutus, non alienus fuit ab eorum, eodem tempore illum terrae motum constituentium, opinione. Conveniunt ergo etiam hi duo testes cum auctoribus supra laudatis (cf. Cl. Gesen. l. l. p. 5 et 6). Talis certe consensus non prorsus contemnendus esse videtur!

Denique non levis est suspicio, Amosum inter Israelitas prodiisse, cum Israelitarum resp. languere coepisset, et eorum malorum, quae deinceps ad regnum usque eversum civitatem illam miserrime afflixerunt, semina jam laete crescerent. Idque, imperio Jerobeami ad finem demum vergente, neque prius, sine dubio factum est. Nam initio regni et per aliquot dein annos dignitatem, quam Israelitarum terrae recuperaverat, tuitus esse videtur. Cum ergo assumamus annum Uzziae regni 23, prodiit Amosus anno imperii Jerobeami 37, ante C. N. 790; qui quoniam 41 annos regnavit, Amosus 4 annos Prophetae munere functus est *sub utroque Rege.* Etenim mortuus est Jerobeamus anno ante C. N. 786, Uzziae regni 27. Tunc secutum est, ut supra jam vidimus, interregnum 11 annorum. Deinde Zacharias, anno Uzziae 38, Rex creatus est: et hoc optime convenit cum 2 Reg. 15: 8, ubi eadem traduntur. Sic cuncta bene cohaerent, et optime procedunt.

Recte igitur Harenbergius, (l. l. introd. p. 51), cujus dicta, postquam hancce disputationem ad finem jam perduxeram, demum novi, statuit *Amosum anno regnan-*

nantis Uzziae 25 vaticinia edere coepisse. In eo tamen lapsus est, quod putet, Regem illum *ante annum 26 regni lepra multatum esse.* Praeterea Chronologiam misere turbavit, existimans, *illum per annos 56 regnasse et anno aetatis 70 defunctum esse.* Confert loca 2 Reg. 15: 2 et 2 Chr. 26: 3, quae disertis verbis docent, Uzziam, 16 annos natum, imperio admotum fuisse, atque hoc annos 52 administrasse. Itaque mortuus est anno aetatis 68. Denique ultimus Jerobeami II annus non congruit cum anno regni Uzziae 26, quae etiam Usserii (in Annalibus p. 45) est sententia, sed cum anno ejusdem imperii 27. Ceterum Usserii opinionem de eclipsi solis, ab Amoso praedicta (cap. 8: 8—10), potius mittam, et loquendi formulam, ibidem adhibitam, ex dictione, Hebraeorum Poetis dilectissima, explicem. Si quis autem putet, illud factum, quod Usserius anno regnantis Uzziae 20 accidisse demonstrat, Amosum, quum haec scripserit, movisse, ut hanc imaginem ipse adhiberet, quoniam terribilis illius eclipseos memoriam, ipsi forte aliisque, qui eam viderant, mente alte infixam, tunc recoluerit: haec, inquam, si quis putet verosimilia esse, ex iis tamen nullum argumentum ad tempus, quo Propheta prodierit, definiendum peti potest.

§. 8.

Quamdiu vixerit Amosus. — Aliorum sententiae exponuntur.

Quamdiu vixerit, neque inscriptionis Auctor, neque Veterum, quos consului, aliquis indicavit. Illud autem, cum, si secus dijudicatur, viam rectae hujus libri interpretationi prorsus secludat, diligentissime, quantum possit, examinari *debet.* Neque in hac quaestione pertractanda subsistendum est, priusquam hoc ex certis indiciis constet. In re tam gravi primum videbimus, quaenam principum Interpretum fuerint sententiae. Major eorum pars aetatis ipsius terminos, quoad ejus fieri possit, definire, prorsus neglexerunt: quod quanto cum rectae interpretationis detrimento conjunctum sit, dici vix potest. Ex libro autem Amosi solo, hanc quaestionem dirimendam esse, alii bene perspexerunt, aliique alias protulerunt opiniones, quae, quoniam ad unum idemque fere redeunt, paucis exponi possunt.

Singularis erat Hardtii (van der Hardt in Hosea Historiae et Antiquitati reddito Helmst. 1712 p. 55) sententia, ut ab hac, missis antiquioribus, incipiamus. Statuit, Amosum, jam *senem*, anno imperii Jerobeami quadragesimo hunc librum conscripsisse, longo temporis intervallo post reditum ipsius ex Israelitarum terra (Am. 7). Hanc

Hanc sententiam, a Wolfio (Bibl. Hebr. II. p. 170) receptam, Harenbergius suo modo refutavit (introd. p. 67 seq.); existimans *vaticinia Amosi*, quae sunt illius verba (p. 74) *intra biennium fuisse proposita circa id temporis, quo res regni Judaici ac Israelitici erant adhuc florentissimae, necdum ulla animis succurrebat de exsiliis per Assyrios afferendis, suspicio.* Jahnius (introductio in Libros Sacros V. T. in compendium redacta. Viennae 1804. p. 348 seq.) *Amosum*, inquit, *sub Uzzia, Rege Judae, et Jerobeamo II, vaticinatum esse, non modo inscriptio edicit*, sed argumentum quoque libri confirmat. *Sistit enim Propheta remp. Isr., talem, qualis per Jerobeamum restituta fuit* 2 Reg. 14: 23—28. Cf. Amos 6: 13, 14. *Ex tanta morum, quam descripsit, corruptione apparet, Prophetam aliquo temporis intervallo post victricia illa Jerobeami arma surrexisse, quod inscriptio confirmat, simul Regem Uzziam nominans, qui 27 demum anno Regis Jerobeami thronum Judae adscendit. Propheta librum* ante mortem Jerobeami edidisse videtur: nam de tumultibus, *quibus post Jerobeamum II civitas Isr. agitata fuit*, prorsus nihil refert. *Sistendum itaque est in ultimis* 14. *annis Jerobeami* 798—784 *ante Christum.* Eamdem sententiam professus est Ackermannus, vir Cl. in repetita hujus Jahnii introd. editione (Vienn. 1825 p. 241 seqq.), quam *plurimis*, ut ait (praef. p. 1) *quidem capp. immutatam et auctam subinde, servato tamen eodem ordine et materiarum delectu, atque ubi visum est, argumentis iisdem et verbis retentis* edidit. Quam ob causam non credo, illum suam *in Commentario in Amosum*, quem deinde etiam scripsit, quemque inspicere nondum mihi contigit, sententiam immutasse.

Cum his consentiunt plerique, cum antiquiores, tum recentiores Interpretes; etiam Wettius (de Wette einl. 1822. p. 517) et Eichhornius (uber die Propheten Gott. 1816. I. p. 22 seqq.). Ille, ut solet, brevissime, quid sentiat, declaravit, hic argumenta paulo uberius exposuit. Perhibet Eichhornius, Amosum, Mosis exemplum secutum, Israelitis praedixisse, fore ut a populo peregrino penitus perderentur. Verum tunc temporis nulla gens eam in Asia nacta erat potentiam, ut certo definiri posset, quaenam hoc factura esset. Non quidem improbabile est, *vagos de populorum in Asia superiore expeditionibus, rumores* ad Hebraeorum notitiam esse delatos, eosque Amosum nonnumquam ob oculos habuisse. Assyrios vero, terra Israelitarum capta, regnum deleturos esse, hic non diserte pronunciavit. Phulus, circa annum

 de-

demum 750 primus hujus regni negotiis se immiscuit, adeoque ante hoc tempus Amosus floruit, idque coll. Am. 7: 10 multo etiam prius statuendum est. Haec Eichhornius, cujus dicta prima specie multa habent, quibus se commendent. Sed haec et reliquorum, nam alios mittimus, Interpretum sententiae tot tantisque premuntur difficultatibus, ut aliam nos quaerere oporteat. Tantum enim abest, ut sanam hujus libri interpretationem ulla earum admittat, ut tunc ex duobus alterutrum eligendum supersit: alterum, Amosum hujus libri auctorem non fuisse; alterum, eum ad Hiskiae usque tempora vixisse. Illud autem cum demonstari nequeat, hoc potius assumo.

Libro iterum iterumque perlecto, magis magisque de hac opinione mihi persuasum est, cujus tamen patronum inter Interpretes nullum inveni. Suspicor Niemeyerum, Virum perspicacissimum in eamdem fere abiisse sententiam. Contendit enim (karakterkunde IV D. 2 St. p. 484) ea, quae *plerisque pericopis* continentur, cum Uzziae et Jerobeami aetate convenire. Neque ab his certo alienus est Cl. Gesenius, existimans, Jesajam paulo ante Uzziae mortem fortasse Prophetae munus incepisse (einl. in Jes. p. 5). Qui quoniam deinde Amosum Jesajae aequalem saepe vocat (Cf. Gesch. cet. p. 24, Comm. in Jes. II. p. 390), et loca nonnulla utriusque Prophetae in Commentario laudato ita confert, ut ab utroque idem in illis indicatum esse existimasse videatur, eamdem, nisi fallor, sententiam, disertis verbis licet non pronunciatam, fovisse censendus est. Quod ut evidentius demonstrasset vel etiam nunc demonstret Vir ingenio, eruditione, judicandique solertia, praeclarus, nemo non exoptet.

Tandem vero incidi in Liveleji Commentarium, eumque quidem in locum, ex quo meam opinionem, numquam defendere ausus fuissem, neque ante etiam, quam hanc ex aliorum locorum collatione certam, probabilem saltem esse, novissem, huncce solum me, ut receptam relinquerem sententiam, movisse, credo. Est locus Am. 9: 7, ubi *Syri ex regione*, quae *Kir* dicitur, *exiisse traduntur*, quorsum, ut minatur Amosus cap. 1: 5, *abituri erant*. Hoc factum est, postquam Tiglath — Pilezarus, Assyriorum Rex, Damascum ceperat (2 Reg. 16: 9). Illud, quomodo explicandum sit, nescio. Nam exitus ille, qui cum narratione de Philistaeis ex Caphthore, quae est Creta, egredientibus, proxime jungitur, etiam de *populi* ex alia terra in Syriam *migratione* explicandus est: de qua huc usque nihil, quod facile concedo, constat; etiamsi tamen non prorsus improbabile sit, Syrorum proavos ex septentrio-

trione meridiem versus olim tetendisse. Quam ob causam melius est, locum in quaestione nostra intactum relinquere, et tamdiu ignorantiam fateri, donec, gentium per terras progressibus accuratius cognitis, incognita nova luce illustrentur. Est prudentius etiam haec retinere, quamquam hoc solo loco in Cod. Hebr. narrantur, quam contendere illis non nisi nudam, eamque levissimam contineri traditionem, tunc temporis a quibusdam receptam: quaeque, ut putant, tantummodo reliquis, de quibus in hoc versu sermo fit, sint postponenda, quia haec aliunde innotuerunt, et in Pentateucho v. c. etiam leguntur. Denique definire non ausim, comparationem, hunc locum inter et alterum (1 1 5) institutam, eam vim habere, ut demonstretur, *gentem universam* Syrorum ideo dici profectam esse ex Kiro, quoniam Syrorum abductorum locum occupaverant incolae, ex illa regione oriundi: quae sententia ex Liveleji interpretatione facile elici potest. Assyrii enim, capta Damasco, Syriam in Assyriae provinciae formam redegerunt. Quo facto Syri in eorum exercitu militasse dicuntur (vid. Cl. Gesen. ad Jes. 9: 10 et 11. coll. Jes. 10: 9. seqq.). Syrorum vires, Syria Assyriis subjecta, tantopere infractae sunt (Jer. 49: 24), ut hic, cum alii populi cum Judaeis, quo melius Babyloniorum victoriis resisterent, foedus inivissent, cum his sese non conjunxerint. Eorum mentio saltem non fit Jer 27: 3. Neque tamen Assyriorum furor eo processit, ut Damascum captam, *devastaverint*, vel *omnes cives abduxerint.* Quod si factum fuisset, explicari nequit, quomodo urbs illa paulo post iterum floruerit, et eum in modum restituta sit, ut Vates Hebraeorum nova in eam scriberent oracula (Jer. 49: 23—27 ejusque cum Tyriis commercium, quod commemoraretur, dignum ducerent (Ezech. 37: 18. Cl. Gesen. ad Jes. 17). Itaque nihil amplius superest, nisi ut velis, vel coloniam Kirensium tam brevi tempore tanta incrementa cepisse, ac si in Syria jam aliquot secula commorata esset, quod minus tamen verosimile est; vel Damascenorum plerosque, in Kirum devectos, paulo post rediisse, et loca antiqua recuperasse. Si hoc probari posset, intelligeremus, quare Amosus *Syros* ex *Kiro* profectos esse perhibuerit. Atque tum res Hebraeorum et Philistaeorum, terras, antea ab iis occupatas et deinde relictas, tandem recipientium, prorsus similis esset.

Quoniam vereor, ne Liveleji Commentarius paucis sit in promtu, locum totum descripsi, ut succurram cum iis, quibus nova magis, quam par est, displiceant; tum illis, qui dicta accurate examinare velint. *Eo*, inquit, *Syros ab Assyriorum Rege Tiglath Pilesero abductos fuisse, ut ab hoc Propheta* cap. 1: 5

 prae-

praedictum erat, docemur 2 Reg. 16: 9. *Ut igitur Syri in Kirum deportati fuerunt, ita probabile est, Regem Assyriae contra e Kiro ductos secum ad illud bellum populos in illorum urbibus collocasse, vel inde in Syriam colonias postea traduxisse, quae finibus commutatis sedes Syrorum jam pulsorum occuparent, quemadmodum Israelitis, in Babyloniam, Mesopotamiam, Mediam translatis, novi ex illis locis coloni successerunt.* 2 Reg. 17: 24. et Esr. 4: 9. Syros *igitur hic Prophetam dicere* Kireuses *illos existimo*, qui jam in Syria veteribus incolis expulsis, habitaverunt. *Ita verum est, quod Propheta narrat*, Syros e Kiro venisse. *An Davidis Kimchii pater idem senserit pro certo mihi compertum non est, verum in haec verba sic scripsit: « ex Kiro inquit, venit Tiglath Pilesar, qui « eos illuc deportavit, ut dicitur* 2 Reg. 16: 9. *Ut contra Philistaeos e Captore, « ita contra Syros similiter e Kiro vastator venit." Haec nostra interpretatio si vera est, necessario sequitur*, Amosum ad tempora Achazi Prophetationem suam continuasse, *quo regnante illa Syrorum captivitas contigit. Idem etiam efficitur ex ipsius Tremellii expositione, qui etsi aliter interpratur, affirmat tamen Syros jam ante in Kirum deportatos fuisse, cum haec concio a Propheta haberetur. Quod, nisi Amosus* Achazi tempore *suo munere functus fuerit, fieri non potuit.* Haec Livelejius. Quibus perlectis, unusquisque sine dubio mirabitur, virum illum, aliis, aequalibusque maxime perspicaciorem, ex reliquis, quae Amosi libro insunt, indiciis, suam sententiam non vindicasse. Haec autem, ab omnibus huc usque praetermissa, exponenda sunt. Disputationem igitur in duas majores partes distribuemus; quarum altera, de argumentis, ut ajunt, *internis*, altera de *externis* aget. Illa, quoniam exhibet indicia, ex ipso libro petita, quaestionem tantum dirimit. Hanc adjunximus, ne quid desideretur ad dicta magis magisque probanda. Illam ergo uberius explicuimus, quantum instituti ratio postulat.

Atque *totum* fere libri *argumentum* nostram opinionem videtur confirmare. Loquendi formulae occurrunt, quae de Jerobeami aetate commode adhiberi nequeunt. Habet noster notitias non tantum de Aegypto, sed etiam de ejusdem cum Assyriis de Asiae principatu certamine. Damascus, a Tiglath-Pilezaro capta; calamitates, quas Assyrii Israelitis tunc inflixerunt; Tribus, trans Jordanem habitantes, abductae; misera regni Ephraimitici post bellum a Pekacho motum conditio, ob oculos ipsi versantur. Ad Achazi tempus, aliarumque gentium, eo regnante, invasiones respicit.

Haec

Haec sunt, quae, historia duce, demonstrare conabimur. Dubia, quae ex sententiis, quas commemoravimus, afferri possint, simul tollamus.

§. 8.

Quamdiu vixerit Amosus? — Argumenta interna.

Omnes consentiunt aetatem Jerobeami II omnibus reliquorum Israëlitarum Regum aetatibus feliciorem fuisse: eo regnante florebat Resp. et splendorem non tantum, quo inclaruerat sub meliorum Principum imperio, recepit, verum etiam gloriae culmen attigit, quod numquam antea tenuerat. Bella prosperrime gesta, regni fines restituti, quin prolati etiam, Syrorum vis fracta, Damascus expugnata erat. Vix quidquam desiderabatur ad imperii dignitatem augendam. Obediebant hostes, laetissimaque conditione cives fruebantur.

Jam vero Amosus commemorat *vulnus Josepho inflictum* (שבר יוסף 6: 6). Indicatur hoc vocabulo *gravissima calamitas*, quam Hebraeorum Poetae ita appellare solent. (Ps. 60: 4. Jer. 8: 22. 30: 12—17. cf. ἕλκος Apoc. 16: 2). Proponitur illa non tamquam *futura*, ut admodum contorte Dahlius suspicatur, sed *praesens*. Vitia Amosus perstringit, eosque alloquitur, qui *nullam* praesentis *periculi rationem habebant:* deinde vero minatur eos in captivitatem abductum iri. Itaque quomodo illud de Jerobeami II aetate explicari possit, non video. Conjecerunt quidem J. D. Michaëlis, Justius, aliique, Vatem intellexisse *latentia malorum futurorum semina*, quae tunc temporis crescebant, Cl. Rosenmullerus *mala partim illata jam, partim adhuc inferenda* et provocat ad illud שארית יוסף (*eos, qui ex clade superstites erant*). At vero hoc loco nullus de regni afflictione *ante Jerobeami mortem* sermo fit. Continetur hoc capite elegia, qua Israëlitae, acerbissima clade affecti, deplorantur. Initio carminis (v. 2) regni conditio comparatur cum homine graviter aegrotante, vel cum milite in terram projecto, et ab omnibus, qui eum erigant, eique solatium afferant, sociis derelicto: נפלה לא תוסיף קום בתולת ישראל נטשה על אדמתה אין מקימה. *Jacet, neque amplius surget, Virgo Israëlis; extensa est per terram, nullus, qui ipsam erigat, superest.*

Aliud, quod potius convenit cum tempore, bellis civilibus famoso, quam cum placida et quieta aetate, qua regnum 10 tribuum sub Jerobeamo II gaudebat, est *Fames*, 4: 6 commemorata, quae per totam terram grassata est. Concedo pluviae de-

defectum (v. 7. cf. 1 Reg. 17: 1), *fruges* solis ardore deperditas (v. 8), locustarum agmina, quae hortos, ficus, vinetasque devastaverant, talis calamitatis causam esse potuisse, iis etiam temporibus, quibus regio pacis artibus floret: verum etiam hoc constat, malum ejusmodi, commercio, ut omnes jure statuunt, tunc temporis restituto, et summa cum industria facto, tolli, saltem mitigari. Praeterea, quoniam probabile est, ut infra ostendemus, has calamitates verosimiliter in aliud tempus esse referendas, hoc aetatem refert, qua, bellis perpetuo gestis, mercatura intermittitur, agriculturae studium negligitur, novisque afflictionibus accedentibus, vehemens frugum omniumque rerum necessariarum inopia existit. Objicitur forte, nostrum ad infausta Hazaëlis tempora respexisse. Non diffiteor hoc fieri potuisse, licet historia illud non referat. Sed, ne repetam Prophetam ad mala, quae post haec bella demum acciderunt, attendisse videri, verosimilius esse puto, Amosum suis ea potius in memoriam revocasse, quorum ipsi testes fuerant, quam alia, de quibus fando tantum audiverant. Etiamsi enim haec, ut opinantur, vivente Jerobeamo, scripserit, supererant certe pauci, qui ista Syrorum bella, sub Hazaële gesta, viderant (31). Eoque minus illa sententia admitti potest, si statuis, hoc caput aliquot temporis post mortem Jerobeam II esse compositum. Num putas verba Oratoris, qui ex remotis temporibus argumentum petit, ut monita sua adstringat, eamdem in auditores, parum edoctos, vim habitura esse, atque alterius, qui recens facta reminiscitur? Quid! si quis diceret: « ista ne « amplius perpetrate; nam si iterum iterumque fiant, violentum Hispanorum furo- « rem rursus experiemini? » Noverunt omnes bella illa, nec facile cuiquam memoriae excident, quamdiu immortalia Heroum illorum, Proavorum nostrorum, nomina, maximis, ut par est, laudibus celebrantur. At vivunt magis, nec vivere desinunt Francorum facinora nefanda, horrenda, atrocia. Quae si quis recordatur, gelido terrore ipsum etiamnunc percellunt. — Alias jam mitto dictiones, quae tempestates post mortem Jerobeami II adumbrare videntur; in his cap. 5: 6 seqq.: quarum explicationem suo loco daturi sumus.

Rerum etiam notitia, quam habuit, aetatem Jerobeamo paulo recentiorem spirat. Huc refero ea, quae *Aegyptum* spectant. Nilum Aegyptiaco vocabulo nuncupat (8: 8 et 9: 5). Dynastiam Cuschaeorum (9: 7), quae tunc temporis superiori Aegypto imperabat, et magnas partes agere incipiebat, meminit (cf. Cl. Gesen. ad Jes. 19). Quae quomodo cognoverit, eo facilius explicatur, si re-

revera commercium Hebraeorum cum Aegyptiis hac aetate arctius, quam antea, fuerit. In scriptis Hoseae illud disertis verbis refertur, atque ejusdem rei indicia apud Amosum non frustra quaeruntur. Nisi enim cap. 3: 10 ob oculos habuerit Exod. 9: 5, quod ex proximis minime verosimile est, de fuga Israëlitarum in Aegyptum, eorumque in via calamitatibus illic sermo est. Illud vinculum deinde, quod cum Aegyptiis contraxerant, forte causa fuit, quare Israëlitae cum eorum cultu Idolorum nomina, quae Amoso non latebant, etiam receperint (5: 26). Denique quando statuitur, certamen de Asiae principatu Aegyptios inter et Assyrios habitum, Amoso innotuisse, et vera est Graeci Codicis lectio Am. 3: 9, egregie admodum, hic advocat utrumque populum, omnium quippe potentissimum, ut vel alteruter vel uterque simul, apud montes Samariae congregetur, ejusque urbis incolas perdat, et Jehovae nomine de eorum sceleribus vindictam sumat. Locum tamen huc usque in medio relinquo, eoque lubentius, cum Eichhornii sententiam, supra expositam, mihi opponi videar. Ac verum est, Assyrios nullo alio loco dici hostes, id acturos, ut Israëlitarum regnum everterent. Ubique sermo fit de *populo*, qui, quisnam futurus sit, non definitur. Non vero Eichhornio danda sunt illa, quae de Assyriorum per Asiam progressibus contendit, qui, ut explicaturi sumus, Amosi aetate majores, quam ille conjiciebat, fuerunt. Itaque observari meretur, *illud* quod attinet, rationem saepius reddi non posse, quare Scriptor aliquid omiserit, quare addiderit. Joel, ipse splendidissimarum illorum victoriarum testis, populi nomen prorsus reticuit. Dubio igitur obmoto hanc quaestionem opponimus « si Assyrii, « tunc, omnium gentium potentissimi, omnium oculos in se defixos tenuerunt, « utrum magis mirandum esset, eum illos ipsorum nomine nuncupasse, an, eosdem insignientem, formulis minus definitis usum fuisse?" *Hoc* ut non alienum est ab Amosi scribendi ratione, ita etiam, quod minime omittendum, facile ferri potest in viro, qui ad eos, quorum memoriae res Assyriorum gestae alte infixae erant, scripsit. Quisque nimirum optime intellexisset, si quis, Francis, Imperatore Napoleonte, totius fere Europae dominium tenentibus, Russis et Anglis praedixisset, *fore, ut a populo, vel populo illo subigerentur.* Atque in hunc fere modum Am. 6: 14 explicandum est illud גוי, pro quo alius forte dixisset הגוי. Non constant enim Poetae in illa ה adhibenda (Cl. Gesen. Lehrgeb. p. 656),

et Amosus hanc saepius omisit, ubi ab aliis posita fuisset. Postremo monendum est, hanc generalem dicendi rationem non Amoso soli esse propriam. Hoseas etiam, qui aliquoties indicavit, Assyrios regnum Israelis esse eversuros, Regem eorum vocat, vel *Regem potentissimum aut magnum* (5: 13, 10. coll. 2 Reg. 8: 19), vel, ut videtur, *illum* (הוא 10: 2).

Amosum revera Assyriorum victorias cognitas habuisse, exinde apparet, quod Damascum a Tiglath-Pilezaro captam viderit. Omnium, quos memorat, populorum sors futura generali descriptione absolvitur; sola Damascenorum fata distincte praedicuntur. Hi enim (1: 5) *abducendi sunt in Kirum*, regionem tam longe a Palaestina dissitam, ut ratio probabilis desideretur, quomodo haec et Amoso, et Hebraeis universis, Geographiam parum edoctis, innotuerit, nisi contendas eos, vel gentes vicinas, aliquod cum hac terra commercium habuisse. Colonia, ut meam sententiam paucis declarem, Amosi aetate ex Kiro Damascum deducta esse videtur. Damascus ab Assyriis expugnata, non deleta erat. Huic urbi, aliisque Syrorum locis, quae vel intacta, vel plus minusve ab Assyriorum armis erant vexata, Amosus l. l. interitum jam annunciat, ita ut, quae tunc adhuc remanserant, penitus everterentur, *omnesque* eo deferrentur, quorsum *nonnulli* jam deportati erant. Haec tenentibus, alter locus 5: 27 (*eam ob causam ultra Damascum vos abducam*) majorem habet vim, quam quum putas, Amosum, ut nonnulli existimant, hac dicendi formula usum fuisse, ut terminos, longissime a Palaestina remotos, indicaret. Profecto de industria ita scripsit: Damascum non sine consilio meminit. Quid, quaeso, significat illud *ultra Damascum*, Palaestinae finitimam, nisi hujus urbis incolarum pars saltem in aliam remotiorem terram tunc jam exiisset, vel in eo esset, ut proficisceretur. Noverat revera Poeta coloniarum illarum deductionem, suisque igitur minitari videtur, fore, ut cum iis in alias regiones, *longe ultra illam urbem* jacentes, ex patria sua abducerentur. Locum 4: 5 difficillimis certo annumerandum, et miserrime corruptum, nunc intactum relinquimus, ejusque explicandi periculum faciemus in Commentario.

Quae si forte persuadendi vim non habere existimantur, ad alia progredimur, quibus dicta defendantur et illustrentur. Dubium enim nullum superest, quin Assyriorum victorias respexerit iis in locis, ubi calamitates ob oculos ipsi versantur, quae tunc Israëlitis illatae fuerunt.

Fu-

Funesta invidia, quae tribus Judae et Ephraimi semper a se invicem alienaverat, post scissum regnum novas vires accepit, et plus semel bellorum gravissimorum causa fuit. Aemulatio in malignam invidiam, invidia in nefandum livorem, livor in odium scelestissimum erant mutata. Horum indicia manifesta insunt pungenti Joasi orationi, qua in Amaziam invehitur 2 Reg. 14: 8 seqq. Ignis deinde per aliquot temporis sopitus, eo rapidius in flammas erupit. Jothamus vix mortuus erat, et juvenis Judae regno praepositus, cum Pekaehus, societate cum Syrorum rege facta, Judaeam invasisset. Tam parvi aestimaverant illi hostium vires, et victoriae reportandae tam certi erant, ut Regem, quem Judaeis praeficerent, jam creassent (Jes. 7: 6). Ac revera progressus fecerunt tantos, ut Achazus, ad summas angustias redactus, Assyriorum auxilium impetraret (vid. Cl. Gesen. ad Jes. 7. II. p. 268). Non improbabile est, hos tunc temporis ab hac parte Euphratis populis debellandis occupatos fuisse. Erant igitur in promtu, et brevi tempore ad Judaeos juvandos accedere potuerunt. Calne Hebraeorum, Graecorum Ctesiphon, ad ripam Tigridis Orientalem, urbs nobilissima, Assyriorum imperio jam obediebat, idque eo magis credibile est, si Assyriorum per Asiam progressuum cursum consideramus. Hamath, deinde *Epiphania* (non, ut Hieronymus ad Am. 6: 1 suspicatur, *Antiochia*) dicta, (cf. Cl. Gesen. ad Jes. 10: 9) illa aetate urbs erat nobilissima, regnique satis splendidi Metropolis. Hanc quoque expugnaverant Assyrii: qui si tunc iis in locis subigendis intenti fuerint, facile intelligitur, quare paulo post in Syriam et Palaestinam a parte septentrionali impetum fecerint. Ante hanc invasionem, eo tempore, quo Israëlitarum copiae, Syrorum agminibus auctae, Judaeae imminebant; eo tempore, quum illi, superbia elati, quemadmodum Jesajas (7: 6) eos loquentes introduxit, gloriabantur: *tendamus in Judaeam, eamque (urbem Hierosolymorum) ad summas redigamus angustias, in eam irruamus, et Regem iis praeficiamus Tabeëlem* (coll. Hos. 5: 5, 13. 6: 11); hoc, inquam, tempore, vir Judaeus, Amosus, nempe, scripsit eam pericopen, quae cap. 6 continetur: הוי השאננים בציון והבטחים בהר שמרון נקבו שארית הגוים ובאו להם בית ישראל. Sic enim hunc locum, qui, ut in recepta recensione legitur, obscurissimus, et sine dubio corruptus, levi mutatione restituendum esse conjeci, cujus rationes, quoniam h. l. minus commode dari possunt, postea exponere et probare conabor. Versionem tantum hujus et sequentis versus adjungo,

ex

ex qua supra dicta confirmentur. « *Vae*, inquit, *istos, qui* (linguas) *acuunt contra Zionitas, eosque, qui fiduciam ponunt in monte Samariae: vocantur* (adhuc) *gentium reliquiae, sed ibit ad eas domus Israëlis* (id est, Israëlitis, non Judaeis eadem, atque illis gentibus, sors continget). Quodsi credere nolitis, (v. 2) *transite Calnen et videte, et abite hinc* in urbem *Hamath Rabba, et descendite ad Philistaeorum civitatem, Gath: Num vos* (scil. אתם) *meliores estis regnis illis* (cf. Jud. 11: 25 et Nah. 3: 8), *an plures*, (*latiores*) *erant fines eorum finibus vestris* (an terra eorum hostium incursui magis patebat)? Gath ab Uzzia expugnata tunc temporis devastata erat (52). Damascum non commemorat, quia eam nondum Assyrii occupaverant.

Paulo post sextum Amosi caput conscriptae sunt orationes Jesajae, cum, quae cap. 17: 1—11, tum quae c. 8: 1—9: 6 exstant. Quum Jesajas haec componeret, ut Cl. Gesenius in Commentario explicuit, tribus regni Israëlis septentrionales eaeque, quae trans Jordanem habitabant, ab Assyriis jam erant subactae (Jes. 17: 2 et 8: 23 coll. 2 Reg. 15: 29). Harum terras, majore incolarum, quos Assyrii abduxerant, numero destitutas, occuparunt Ammonitae et Moabitae (Jes. 15 et 16. Zeph. 2: 8, 10. Jer. 49: 1—5). Qui, quum Assyriorum partes sequerentur, iisque forte auxiliarentur in his terris expugnandis, in incolas relictos, ac jam numero ipsis impares, perpetuo invasisse molestisque vexationibus et nefanda cum crudelitate eos trucidasse videntur. Haec facinora Amosus, ut credibile est, cap. 1: 13 ob oculos habuit. Illis tribubus abductis, merito meminit illud שארית יוסף 5: 16. Ejusmodi aetati conveniunt illa כי קטן הוא, quae de imperio Jerobeami dici nequeunt. Ita, si ad priores invasiones, et calamitates, quae populum debilitatum nondum penitus fregerant, respicitur, bene intelligi possunt c. 7: 8 et 8: 2 *non amplius eum praeteribo*.

Quam misera fuerit regni Israëlis conditio paulo post illam, quam Pekachus in Judaeos susceperat, expeditionem, Hoseae carmina vividis coloribus depingunt. Regnum Israëlis ab Assyriis tam vehementer erat afflictum, ut hic illud comparet cum *vase, quod nemini placet* (7: 8). Bellis civilibus iterum excitatis, partes aliae Assyrios, Aegyptios aliae sequuntur (7: 11, 16). Terra fere universa civium discordia dilaceratur (7: 8, 9). Pekachus Rex in convivio dolose interficitur (7: 3, 5, 5). Bellum civile per 9 annos continuatur (Jahn Arch. II. 1. p. 159 seqq.). Hac ae-

aetate forte conscripta sunt Amosi libri, capp. 3, 4, 8, 9 et quod verosimillimum est, cap. 5. Praeterea reip. conditio, quae depingitur Jesajae 9: 7 — 10: 4, apud Amosum eodem modo delineata est, atque apud Hoseam. Eadem notata sunt vitia; vanitas Israëlitarum, principum, judicumque injustitia (Jes. 9: 16 et 10: 1, 2. Am. 3: 10. 4: 1, 2. 5: 10 — 12. 6: 3 — 7, 13. 8: 4 — 6. coll. 2: 7); cladis nefaria incuria (Jes. 9: 8, 9. Am. 5: 18. coll. 6: 1, 3 seqq., 8), licet nova hostium invasio immineat, quae, rebus ita perturbatis, cuncta evertere et destruere minatur (Jes. 9: 10, 11. 10: 3, 4. Am. 4: 3, 11. 5: 16 — 20. coll. 6: 7 seqq., 11, 14).

Cum igitur Amosus, de iis, quae in regno Israëlis facta sunt, tam enucleate scripserit, minus etiam mirandum est, eum Judaeum de Judaico imperio nonnumquam locutum fuisse. Ac revera ejusdem, Achazo regnante, conditio adumbrata est: cujus indicia reperiantur cum in cultus publici, tum in status civilis descriptione.

Uzzia et Jothamus Sacra Jehovae, a Mose instituta tuiti sunt (2 Reg. 15: 4, 35). Nam, quamvis populus *in locis editis sacrificasse* dicatur, hoc, ut jam a multis observatum est, de *idolorum cultu* minime est intelligendum. Chronicorum libri auctor refert (2 Chr. 27: 2) quidem, Jothamum *Templum non ingressum esse*, sed sine dubio his verbis indicare voluit, eum patris, ibidem thura adolentis, exemplum non secutum fuisse. Itaque cum Achazi, non cum Jothami et Uzziae aetate congruunt dicta Am. 2: 4. (coll. 2 Reg. 16: 3, 4. Jes. 2: 6 — 8 et 5: 24). Conditio civilis, quae dicitur, tum non melior fuit. Achazus, ut supra diximus, ad summas angustias redactus, et omni auxilio destitutus (Hos. 5: 6), Assyriorum opem imploraverat: quorum interventus Judaeis non minus perniciosus fuit, quam Israelitis (Hos. 5: 12, 14. 6: 1). Illi hostium imperio sese subjecerant, et tributum, quod regni vires in dies consumebat, pendere erant coacti (Hos. 5: 7). Videmus igitur, Amosum summo cum jure *Davidis tugurium* dixisse *corruens*, et tabulam aureae aetatis delineantem, *moenia collapsa* finxisse, tamquam *restituenda*, et *destructa, iterum restauranda*. Hinc messis, bellis illo tempore gestis interrupta, ea in descriptione, sine ulla intermissione peragitur, montes vastati laete efflorescunt, et colles proventibus abundant. Viget agricultura, floret iterum cultus Jehovae, et populus cum superstes, tum ex captivitate redux, felicitate fruitur exoptata, et pax sem-

sempiterna damna quaeque illata resarcit, omniumque animos conciliat.

Atque utinam vidisset Amosus tempora illa laeta et jucunda! — Sed alia insuper vidit mala aliasque etiam descripsit aerumnas, quae patriae ipsius contigerant, ab aliis gentibus, quum Achazi imperium ad finem vergeret, illata. Philistaei, ab Uzzia domiti (2 Chr. 26: 6), afflictam Judaeorum remp. animadvertebant, eamque occasionem aptam putabant, qua novis molestiis Judaeos circumvenirent. Tam frequentes et graves eorum erant invasiones, ut et agricultura et res pastoralis, quae ex cladibus vix vel ne vix quidem aliquantum revivescerent, prorsus negligerentur (Jes. 14: 30. conf. Cl. Ges. ad h. l.). Merito ergo, Amosus in eosdem invectus est: c. 1: 6 — 8; ibique superstites gentis illius urbes (*reliquias*), quia Gath jam vastata erat (cf. nota 52), in judicium vocavit. Idem facinus, quod Philistaei, perpetraverunt Tyrii (1: 9, 10), et Idumaei (2 Chr. 28: 17). Tanta autem Judaeorum, Amosi etiam in Idumaeos ira fuit, qua recens ab his exacerbati erant, ut hic non tantum acerbissime eos perstringeret (Am. 1: 11, 12), sed aevi aurei felicitatem nondum consummatam esse censeret, nisi quum quotquot ex judicio, iis inferendo, superstites essent, Regi, ex Davidis stirpe oriundo, subjecti, quin terra quoque a Judaeis occupata fuisset.

Easdem calamitates, a Phoenicibus, Philistaeis, Idumaeisque paratas, Joel commemoravit (4: 4, 19). Tam diserte cum Amoso convenit, ut nullum dubium superesse videatur, quin uterque eadem tempora ob oculos habuerit, tempora Achazi. Uterque de iis ita scripsit, ut testes scribere solent; ac merito denique uterque, patriae amore excitatus, hostium scelera atro carbone notavit, et summo cum dolore affectus est, miserrima conditione perspecta, in qua regnum Judaicum, quum Hiskias patri successisset, versatum fuisse, ex ejusdem Regis oratione (2 Chr. 29: 8. seqq.) cognoscimus (53).

Haec sunt, quae de argumentis, ex ipso libro petitis, ad tempus, per quod Amosus vixerit, definiendum hac occasione dicenda esse duxi. Quorum, si nonnulla, vel perpauca, a justis rerum arbitris probentur, aut levem tantum persuadendi vim habere existimentur, laetus in quaestione ulterius investiganda pergam, magnamque voluptatem me capturum esse sentio, si quid, qualecumque tandem, prolatum esse putent ad veritatem explorandam, ad venerandum antiquitatis monumentum

tum

tum rectius intelligendum, ad temporis obscurissimi conditionem melius perspiciendam.

§. 10.

Quamdiu vixerit Amosus. — Argumenta externa.

Ne quid intactum relinquere videamur, hanc de argumentis *externis*, quae dicuntur, disputationem adjungamus. *Haec* vero, cum minoris sint pretii, quam *interna*, secundo loco posuimus. Si quid veri dictis inesse censeatur, haec nunc, vel disertis aliorum testimoniis; vel ejusdem aetatis testibus, qui eadem narrarunt, auditis; aliisve indiciis, comprobatum et magis magisque confirmatum iri confido.

Primum igitur argumentum, quo demonstretur, Amosi aetatem Hiskiae tempora attigisse, petendum est ex scriptorum Amosi cum scriptis Joelis, Jesajae, Hoseae consensu. Micham his non annumeramus, quia plurima scripta ipsius, nisi omnia, vel post mortem Amosi, vel saltem post hujus libri compositionem, condita esse videntur. Ex quibus hoc tamen apparet, Michae aetatem aetati Amosi proximam fuisse, cum uterque iisdem coloribus ea, quae vixerant, tempora, depinxerint: quod etiam observandum est de reliquis, Hosea imprimis et Jesaja. Hi enim perstrinxerunt vitia, delicta, facinora eadem prorsus, atque Amosus notavit.

Verum talis convenientia, quae apud Scriptores, aetate longe diversos, quoque observatur, tum solummodo aliquam, quin etiam tum maximam vim habet, ut probetur, idem tempus denotari, quum simul constat, easdem a singulis descriptas esse res gestas, quae semel tantum, et non antea, neque postea accidere potuerint. Ejusmodi temporum notae in Prophetarum illorum scriptis minime desiderantur. Eadem illa Hebraeorum historiae pars, de qua Amosus exposuit, plerisque Hoseae, nonnullis Jesajae, et Joelis oraculis continetur, eademque populi illius fata, eaedem reip. tum Judaicae, tum Ephraimiticae, vicissitudines ibidem describuntur. Atque haec, puto, ob supra dicta in dubium vocari nequeunt, aliaque ejusmodi in multis consensus specimina quisque, Prophetarum libris perlectis et inter se collatis, reperiet. Dicta autem, quae repetere non juvat, sufficiant. Hoc tamen, polliceor, me, indefesso stu-

studio hoc acturum esse, ut, si quid ex hac collatione efficere possim ad disputationem confirmandam, hoc in locis singulis tractandis explicem. Eam nempe diligentiam haec sibi requirunt, ut non ante, quam lectio iterata iterum iterumque restituta sit, tangi ea oporteat.

Alterum argumentum *disertis* aliorum *testimoniis* continetur. Ad traditionem rursus me converto. Multa, ut jam observavi, refert illa, quibus nulla fides est habenda, multa etiam, quae origine explorata, et involucris rejectis, veri quid tradunt, quod historiae illustrandae egregrie conducit. Audiamus ergo Veteres, de aetate Amosi loquentes, eamque, non *tam arctis*, quam recentiores plerique Interpretes, *terminis* circumscribentes; Judaeos, et, qui ab his sua maximam partem sine dubio acceperunt, antiquos Christianorum Doctores.

Regredior ad traditionem, quam Talmudistae in Baba Bathra l. l. commemorarunt. In qua quum Amosus *tertium post Hoseam et Jesajam locum* teneat, hoc tamen mitto. Cohaerent enim haec cum altera, quae supra allata est, traditione, quae narrat, Jesajam initio Uzziae Regni prodiisse. Quo facto, fieri potuisset, ut Amosus, munere licet sub eodem rege serius, quam Hoseas et Jesajas, incepto, ante horum tamen et Uzziae obitum mortuus esset.

Verum observari meretur, locum illum Talmudis docere Hoseam, Jesajam, *Amosum et Micham eodem tempore* vaticinatos esse. Si hoc verum est, Amosum et Micham eodem tempore oracula edidisse, sequitur, illum *aetate Jothami* etiam Prophetae munus gessisse. Hic enim, quod Michae libri inscriptio tradit, *diebus Jothami, Achazi, et Hiskiae* vixit. Quin imo suspicio oritur, Talmudistas h. l. aetatem multo longiorem Amoso tribuisse, cum, quoniam tempus, quo Hoseas et Jesajas vaticinati sunt, etiam horum Regum imperio continetur, (vid. inscriptio utriusque Vatis libro praefixa); tum quia Judaeis non incognita erat opinio, Amosum sub filio Hiskiae, Manasse, Prophetae munere functum fuisse, quam Abarbenelus (ad Am. 1: 1) refutandam esse censuit (J. Meyer ad lib. Seder Olam p. 997. sq.). Hujus opinionis indicia nullibi hucusque, nisi h. l., inveni, ejusque originem ignoro. Non vero omittendum est, Rabbinorum nonnullos fuisse, qui Joelem sub eodem Rege, Manasse, vixisse statuerunt, quod in Seder Olam Rabba et Seder Olam Suta, commemoratur (Meyer l. l. p. 995). Fortasse consensus Amosi librum inter et

Joe-

Joelis non fugit Judaeos, et utramque hoc tempore vixisse contenderunt, quoniam multi Prophetae tunc floruisse, et ut fertur, necati esse dicuntur (2 Reg. 21: 10, 16).

Ex Patribus Hieronymum h. l. commemorasse sufficiat. Hic, Judaeos, magistros ipsius, secutus (initio comm. in Hos.) inscriptionis, quae *Hoseam sub Hiskia* quoque vaticinatum esse tradit, mentione facta, sic pergit: « Ex quo perspicuum est, « prophetante Osee, Esaia et Johel *et Amos* et Abdia et Jona et Michea, qui σύγ- « χρονοι, id est, contemporanei ejus (Hoseae) fuerunt *regnum decem tribuum esse* « *finitum.* » Praeterea cum Judaeis etiam saepius consentit, Amosum *Michae aequalem* fuisse contendens (v. c. init. comm. in Mich.). Non diffiteor, eos, quorum aetas aliquantum diversa est, *aequales* subinde dici, ita ut temporis, quo simul vixerunt, ratione habita, is, qui juvenis prodit, cum alter senex est, huic *aequalis* nominetur. Sed minus accurate sic loquuntur, et talem hujus vocis usum Hieronymus, h. l. certe non ob oculos habuit. Contra prior locus ostendit, suspicionem, Talmudicos Amosi aetatem ad Hiskiae usque tempora extendisse, esse veram. Hieronymus enim, a Judaeis edoctus, optimus Judaeorum sententiae est interpres. Concedo, illum ceteroquin, Veterum more, librorum inscriptionibus caecam fidem tribuere solere, ita ut nefas duceret, aliquid earum auctoritati detrahere: verum teneatur, eum traditionem commemorasse, cujus origo in ea, ut videtur, tempora referenda est, quibus Judaei inscriptiones anxia religione nondum prosequebantur. Deinde, non improbabile est, nonnullos in posterum fuisse, qui, licet Amosi vaticinia, inscriptionis auctoritate utentes, ad Jerobeami et Uzziae tempora retulerint, ejusdem aetatem, vera traditione freti, longius protraxerint. Tandem vero, postquam falsa de hujus morte opinio excogitata, amplificata, et in dies propagata erat, fictis vera cesserunt, et merae nugae eam vim habuerunt in receptam sententiam, aliquando probatam, ita confirmandam, ut plerique, ineptiis licet missis, hanc amplecti non recusaverint, et inviti librum minus recte explicuerint.

Ad tertium, idque ultimum, argumentum transeo, quod, si solum per se consideratur, nullam, si vero praecedentibus superstruitur, aliquam neque contemnendam vim habet. Locum intelligo, quem Amosi liber antiquitus in Prophetarum

mi-

minorum volumine, quod, a Rabbinis הריכר, a Graecis δωδεκαπροφητόν vocatum, considerabatur tamquam unus liber (Carpzov. l. l. p. 72 seq. 270 seq. Hotting. Thes. Philol. p. 477), tenuit.

Dolendum est, historiam, quae rationem exponit, quomodo et quando Libri Sacri in unum volumen colligi coeperint, densissimis tenebris etiamnunc suffusam esse, ita ut multa, quae afferri possent, ad ea confirmanda, quae ad nostram pervenerunt notitiam, desiderentur. Hoc tamen constat, ordinem Prophetarum minorum, ut et reliquorum Cod. Hebr. librorum, non eumdem esse, atque illum, qui in antiquissimis Codd. observatur; quin etiam recentiores Codd. Hebr. dissentire, et alios libros alio loco poni, ut infra ostendemus. Sed a Graecis incipiamus exemplis.

In libro de vitis Prophetarum et in Synopsi scripturae, quae inter Athanasii opera exstat (Carpzov. l. l. p. 271) hoc ordine priores ex Prophetis minoribus se invicem excipiunt: *Hoseas*, *Amos*, *Micha*, *Joel*, cet. Ita olim libros illos dispositos fuisse, diserte docuit Hieronymus in proöemiis ad comm. in Joel. Mich. et Nah. E Graecis Patribus hoc confirmavit Gregorius Nazianzenus Carm. 33. de veris et germanis scripturae libris, Opp. II. p. 98 (ap. Carpzov. l. l. p. 271):

Μίαν μὲν εἰσὶν ἐς γραφὴν αἱ δώδεκα.
Ὠσηὲ, κ' ἀμὼς, καὶ μιχαίας ὁ τρίτος,
Ἔπειθ' ἰωὴλ, εἶτ' ἰωνᾶς, ἀβδίας,
Ναούμτε, ἀββακούμτε, καὶ σοφονίας,
Ἀγγαῖος, εἶτα ζαχαρίας, μαλαχίας.
Μία μὲν αἵδε.

Minus certum est, quemnam ordinem Judaei veteres in his Prophetis digerendis secuti sint. Iis enim in locis, ubi librorum Cod. Hebr. series enumeratur, illi semper tamquam unum integrum volumen, cujus singuli libri non recensentur, reliquis additi sunt. Non tamen levis est suspicio, veteres Judaeos alio, et eodem, quo Graeci antiquiores, ordine illos collocasse. Ut nimirum ex disertis Rabbinorum testimoniis liquet, reliqui Libri Sacri, cum qui *Prophetarum* nomine nuncupantur, tum

tum qui *Hagiographa* continentur, alia ratione atque vulgo se invicem sequebantur (34). Quod cum constet, verosimillimum est, discrimen ejusmodi in disponendis 12 Prophetarum libris etiam fuisse: eoque magis, quoniam illud in Graecis Codd., ut ostendimus, antiquitus observabatur. Judaei enim Alexandrini, Palaestinensium vestigia plerumque, in rebus praesertim, quae ad religionem pertinebant, prementes, ordinem illum a Palaestinensibus Judaeis etiam accepisse videntur. Quem quare reliquissent, nulla certe probabilis ratio reddi potest. Deinde minime credibile est, hos libros ab Alexandrinis transpositos fuisse, quia jam diu *in unum volumen* erant redacti, quum initium facerent a vertendo Cod. Hebr. Si libri a se invicem separati fuissent, alii in alium locum facile migrare potuissent. Praeterea corpus 12 Prophetarum ab uno eodemque interprete, redditum esse videtur (de quo in sequentibus expositurі sumus). Hic vero quare ordinem receptum immutasset, non video.

« Sed, » inquiunt fortasse nonnulli: « Codd. Graeci in disponendis ceteris Hebr. « Cod. libris non eumdem, qui a Rabbinis (cf. not. 34) traditus est, ordinem se- « quuntur. Quum igitur discrimen Alexandrinos inter et veteres Judaeos Palaesti- « nenses observetur, nulla est causa, quare rejiciatur opinio, 12 illos Prophetas « etiam vel pro libitu dispositos, vel alio ordine ab Alexandrinis, alio a Palaesti- « nensibus Judaeis olim collocatos esse. » Lubenter concedo multos ejusmodi Codd. Graecos antiquitus exstitisse, qui nullam in reliquis V. T. scriptis digerendis rationem habuerunt ordinis, a Rabbinis commemorati. Supersunt etiam hujus negligentiae haud pauca indicia cum in Patrum operibus, tum in Codd. Holmesianis. At vero illa testimonia, quae omnia non nisi 4to seculo antiquiora sunt (35), nihil probant. Quare autem recentiores Codd. Graeci ordinem illum immutaverint, certo dici nequit, sed causae nonnullae, si conjectura uti vis, non desunt. Quum Graeca nimirum exempla, studio linguae Hebraeae a plerisque neglecto, majori numero, quam Hebraea describerentur, et Christiani minus religiosi essent in Libris Sacris disponendis, hi facile suo loco moveri potuerunt. Ipsa etiam Conciliorum decreta alia alium ordinem praescribebant, quae hoc effecerunt, ut omnem ejus rei curam, si quam nonnulli tum habuerint, tandem prorsus missam facerent. Denique libri multi, vel singuli, vel cum aliis paucis simul describebantur, quum ma-

jus esset pretium, quam ut totius Codicis exemplar homines sibi comparare possent. Ac tales libri separati, aliis deinde additi, causa fuerunt fortasse, quare nonnumquam in Codd. Graecis et in Hebraeis subinde ordo librorum fuerit inversus.

Alia insuper sunt, quibus non tantum probatur, Judaeorum nonnullos deinceps a more, olim usitato, discessisse (36), aliosque alium ordinem cum in Prophetarum majorum, tum in Hagiographae scriptis collocandis, secutos esse, sed etiam ipsi huic discrimini indicia inesse videntur, quae ostendunt, veteres Judaeos ordinem 12 Prophetarum eumdem, atque Alexandrinos, tenuisse. Hujus enim discriminis origo repetenda esse videtur ex placitis Scholarum Judaicarum, quarum aliae alias, in rebus etiam minoribus, sententias profitebantur. Hinc etiam explicandus est dissensus, qui in Codd. Hebr. reperitur. Ut docet Elias Levita, libri Germanici et Gallici, Talmudem sequentes, Jeremiam et Ezechielem Jesajae; Hispanici et Masorethici hunc illis praemittunt (vid. Cl. Gesen. einl. in Jes. p. 23). Eliae Levitae dicta Codd. haud pauci Kenn. et Ross. probant (37): quorum multi Germanici libros Hagiographae etiam secundum Talmudem, Hispanici vero alio ordine disponunt: qua de re idem ille Judaeus exposuit (38). Itaque cum Talmud Babylonicus norma fuerit Codd. Germanicis in digerendis Prophetarum et Hagiographae scriptis, et Hispanici Masorethas secuti sint, a verosimilitudine non abhorret, singulos in Prophetarum minorum libris ponendis suos magistros non reliquisse (39). Etenim, dictis perpensis, credibile est Scholas Babylonicas ordinem antiquum in antiquissimis Graecis exemplis retentum, a veteribus Judaeis] recepisse; recentiores vero Judaeos Palaestinenses alium, eumque, quem Masorethae adhibuerunt, tenuisse.

Qualescumque autem rationes fuerint, quibus olim Veteres in libris singulis disponendis (40) usi sint, in multis non saltem excipienda est aetas, qua vixerunt. Cum igitur Amosus primum Hoseam inter et Micham suum locum obtinuerit, hoc, si reliquis argumentis et internis et externis additur, non prorsus contemnendum est. Quin imo, si Masorethas sequeris, post Joelem ponitur. Utramcumque ergo recipias sententiam, Amosus Hoseae est proximus, qui cum, consentiente antiquitate, et probante libri inscriptione, diutissime vaticinatus esse fertur, bene

ob-

observandum est, illius scripta hujus, imo interdum Joelis libro succedere, Michae certe, qui post Amosum aliquamdiu vixit, vaticiniis praeponi.

§. 10.

Conclusio.

Quae cum ita sint, Amosus non tantum sub Uzzia et Jerobeamo II, verum etiam sub Jothamo, Achazo et Hiskia vixit. Deficiunt indicia, quibus tempus, quo mortuus sit, accurate definiatur, neque etiam dici potest, utrum regnum Israëlis eversum viderit, nec ne. Ejus rei saltem nullam mentionem fecit. Accidit hoc sexto Hiskiae imperii anno (722 ante C. N.). Si igitur circa hoc tempus, Hiskiae regni initio mortuus est, vixit ad summam senectutem, neque eam tamen, quae verosimilitudinis terminos superat. Provectam aetatem sine dubio attigit Hoseas, eamque traditio Jesajae tribuere non dubitat, perhibens, hunc annos 103 Prophetae munere functum, et anno aetatis 150 mortuum esse (Cl. Gesen. Einl. in Jes. p. 6). De Amoso hoc minus est mirandum, si reputas, quam tenui vitae conditione et sobrio victu (Am. 7: 14) hic, inter pastores educatus, deinde usus esse dicatur. Neque etiam scimus, quot annos Amosus natus fuerit, cum vaticinari coepisset, Jesajas ex illa traditione prodit anno aetatis 27. Jeremias (1: 6) munus illud suscipiens, dicitur adolescens (נַעַר). Si ergo Amosus anno aetatis 30, ut terminum aliquem conjiciamus, ne quis putet senectutem, quam Amoso tribuimus, nimis provectam esse, quam par est, si inquam, anno aetatis 30, id est 57 anno imperii (ex nostra numerandi ratione 55) Jerobeami, qui est annus Uzziae 23, (secundum nos 21) prodiit, et anno quarto regni Hiskiae obiit, aetatem explevit *sex et nonaginta* annorum.

Quo melius autem dicta de Amoso cum illorum temporum historia conciliari, eoque facilius uno obtutu repeti possent, haec in tabulae formam oculis subjecimus. Quoniam vero Chronologia ejus aetatis tam obscura est, ac tam gravibus difficultatibus premitur, ut etiam nunc accurate definiri vix possit, saepius haesi.

 Uni-

Universe tenendum est, Judaeos in annorum numero in Cod. Hebr. definiendo suam rationem esse secutos, secundum quam annorum partes pro integris annis habentur. Hoc Chronologiam saepius turbavit, quare nonnullis definitionibus aliquid plerumque detrahendum est. In multis secutus sum vel Jahnium (Biblische Archaeol. II. 1. p. 159 seq.), vel Cl. Gesenium (comm. in Jes. IV. 5. beyl. p. 358 seqq.). A quibus cum videar nonnullis minus recte interdum discessisse, ut hoc et alia permulta, quae in hac tota disputatione reperiant reprehendenda, ignoscant, et hunc libellum, tamquam opus juvenile, considerent, etiam atque etiam rogo.

TABULA

TABULA CHRONOLOGICA

IN

AMOSUM.

Anni ante C. N.	*Regnum Israëlis.*	*Regnum Judae.*	*Aetas Amosi.*
833.	Annus 2. Joasi (2 Reg. 14: 1).	Amazias rex creatur, ejusque imperium durat 29 annos (2 Reg. 14: 2).	
825.	Jerobeam. II. Joaso succedit, et regnat per 41 annos.	Anno Amazîae regni 15 (2 Reg. 14: 23).	
820.	Anno 5 imp. Jerobeami.	Amaziae 20.	Nascitur Amosus?
811.	Anno 15 imp. Jerobeami.	Uzzias rex creatur (2 Reg. 15: 1).	
790.	Anno 37 imp. Jerobeami.	Uzziae regni anno 23.	Amosus prodit et commoratur in regno Israëlis.
783.	Anno 39 imp. Jerobeami.	Uzziae regni 25. Terrae motus.	
786.	Interregnum 11 annorum.	Uzziae regni 27.	
775.	Zacharias rex per 6 menses.	Uzziae regni 38 (2 Reg. 15: 8).	
774.	Sallum rex per 7 dies.	Uzziae regni 39 (2Reg. 15: 13, 17).	
774.	Menahem rex per 10 fere annos.		
	Hujus aetate Pul. expeditionem in Isr. suscipit (2 Reg. 15: 19).		
764.	Interregnum 2 fere annorum.	Uzziae regni 48—49.	
762.	Pekachja rex per 2 annos.	Uzziae regni 49—50 (2 Reg. 15: 23).	
760.	Pekach (rex per 20 annos) rex creatur.	Uzziae regni 52 (2 Reg. 15: 27).	Prodit Jesajas (Jes. 6).

753.

Anni ante C. N.	*Regnum Israëlis.*	*Regnum Judae.*	*Aetas Amosi.*
758.	Anno Pekachi secundo.	Jotham. creatur rex (2 Reg. 15: 52).	
743 vel 742.	Anno Pekachi 17. Pekach cum Syris Judaeam invadit (Jes. 7: 1 seqq. 2 Reg. 16: 5).	Achaz. creatur rex (2 Reg. 16: 1). Achaz. Assyriorum auxilium implorat, eorumque imperio subjicitur (Am. 9: 11 seqq.)	Cultus Mos. negligitur (Am. 2: 4) Achazo regnante.
740.	Tiglath-Pilez. in Sam.; abducit partem incolarum Galilaeae, Gileadis, et tribum Naphtalitarum cet. (2 Reg. 15: 19. 1 Chr. 5: 26. Jes. 8: 1 — 9: 6. 17: 1 — 11).		Am. 6: 6 (vulnus Josephi). Reliquiae regni Isr. (6: 1 et 5: 14). Ammonitae in ditiones Isr. invadunt (Am. 1: 13).
739.	Tiglath-Pilez. in Damasco. Pekach occiditur 2 Reg. 15: 27, 30. Interregnum novem circiter annorum.		Conff. Am. 1: 5. 5: 27.
736.	Sabaco in Aegypto regnat. (ex stirpe Aethiopica.)		Coll. Am. 9: 7.
731.	Hoseas tandem rex creatur.	Achazi anno 12 (2 Reg. 17: 1).	Coll. Am. 1: 6, 9, 11. 9: 10, 11, 12.
729 vel 728.	Hoseas cum Sevecho foedis init.	Philistaei deficiunt (2 Chr. 28: 18. Jes. 14: 28 sqq. Idumaei invadunt.	
728.	Anno Hoseae tertio.	Hiskia Achazo succedit (2 Reg. 18: 1).	
727.	Sethos in Aegypto regnat.		Circa hoc tempus moritur Amosus?
725.	Hoseas foedus facit cum eo.		
724.	Salmanassar Samariam obsidione claudit.		
722.	Samaria expugnatur,	Hiskiae regis anno sexto (2 Reg. 18: 9, 10).	

AN-

ANNOTATIO.

(1) Vidd. Rosenmullerus handb. der bibl. Altherth. II B. 1 th. Leipz. 1826. p. 123. seq. Maundrell ap. Hamelv. Geographie des Bybels. I D. p. 379. Pocock. reize door het Oosten II D. p. 55, 68, 73.

(2) In his speluncis latebant Canaänitae, ut Hebraeos, Palaestinam invadentes, Hebraei, ut hostes suos effugerent 1 Sam. 13: 6. (Rosenm. l. l. p. 142. seqq.) In illas Davides se contulit cum suis, dum Saülus ipsum persequebatur. Refugium erant Judaeis contra Syrorum impetus, 1 Macc. 9: 32. seqq. Pocockio (reize l. l. I. p. 8.) *mons Maccabaeorum* ostendebatur. Christus (Matth. 24: 16.) memorans fugam ἐπὶ τὰ ὄρη. (coll. Luc. 23: 30.) non tantum montium vertices, sed etiam latebras illas, videtur intellexisse.

(3) Latronum turbis loca illa semper erant repleta. Josephus haud raro ejus rei mentionem fecit. Vid. v. c. Antt. XVII: 10, 8. Nota est parabola Luc. 10: 30. Hieronymus hac de re queritur, et cum eo, alii plures reddunt nomen loci Jes. 15: 7. et 18: 17. מַעֲלֵה אֲדֻמִּים per *adscensum caedium, propter sanguinem, qui illic crebro a latronibus funditur.* Vid. Rosenm l. l. p. 168 et 174. Aetate. J. C. etiam in Galilaeae speluncis commorabantur δαιμονιζόμενοι Marc. 5: 3, 5. Luc. 8: 27, 29. Matth. 7: 28.

(4) Locorum quorumdam fertilitatem recentiores summis laudibus extollunt, v. c. Korte, Busching, alii, ab Hamelsv. laudd. l. l. p. 377. *Valles* nonnullae in Hebraeo Codice memorantur, vallis Terebinthi, Hebronis, Escolis, aliae: vid. Rosenm. l. l. p. 152. seqq. Pocockius (l. l. p. 68.) per vallem fertilissimam, montibus Engedi cinctam, transiit. Pocockii narrationem confirmat Joseph. Antt. IX: 1, 2. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῇ φοῖνιξ ὁ κάλλιστος, καὶ ὀποβάλσαμον.

(5) Hebraeos voce מִדְבָּר intellexisse loca campestria, nota res est, et ex N. T. di-

 ser-

serte probari potest, ubi hoc vertitur, *τόπος ἔρημος* Matth. 14: 13. Marc. 6: 32. Luc. 9: 10. Eodem in loco, cujus ibi mentio fit, erant *χόρτοι* Matth. 14: 18. et *χόρτος χλωρὸς* Marc. 6: 39. Cf. Joh. 6: 10. *ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ.*

Loca illa semper pastoribus grata fuisse, docet jam Patriarcharum historia. In his Nabal (1 Sam. 25.) degit: Davides in Bethlehemi vicinia patris gregem pavit, ibique deinde (1 Chr. 27: 29) pecora aluit, quibus alios praefecerat (Voce בעמקים non intelligo, ut alii, *tractus trans Jordanem*, sed loca *ab hac parte fluminis*, cum propter additum שרון, tum quoniam ex 1 Chr. 12: 15 constat, Hebraeos illa voce etiam regiones cis Jordanem indicasse). Ex N. T. notum est Luc. 2: 8. seqq. Hieronymi aetate *cuncta plena* erant *pastoribus*, et *sterilitatem terrae pecorum multitudo compensabat* (praef. ad Am.) Μυρία, inquit Cyrillus Alex. (praef. ad Am.) δὲ ὅσα βαρβάρων γένη αὐτὴν (Judae desertum) καταβόσκεται. ἔχει δὲ λίαν ἐπιτηδείως εἰς τὸ τρέφειν δύνασθαι τὰς οἰῶν ἀγείας, (ἀγέλας?) ἔμβροχος γὰρ, καὶ πλατεῖα καὶ πολυειδεῖ τῇ πόᾳ κατεστεμμένη. Recentiores in vallibus illis greges permultos a se repertos esse testantur. Vid. Rosenm. l. l. p. 123. seqq.

(6) Vid. Pocock. l. l. II. p. 71. Catervae saepe in speluncis aliquamdiu commorantur. Vid. Rosenm. l. l. p. 140 seq. Magna cum arte antiquitus illas elaborabant; vid. Cor. Sur. XXVI: 149, ubi hoc commemoratur in oratione, ad tribum Tsamuditarum habita. De fontibus, qui in illis reperiuntur, vid. Pocock. l. l. p. 71, 73, cet.

(7) De origine nominis באר שבע vid. Cl. Gesenius in lexico. Inter urbes numerantur Ziph, Maon, Engedi (Jos. 15: 54 et 62.) earumque ditio vocatur מדבר זיף 1 Sam. 23: 15. מדבר מען 1 Sam. 23: 24. מדבר עין גדי 1 Sam. 24: 2. Praeterea recensetur 2 Chr. 20: 16 מדבר ירואל, de qua regione loquitur Rosenm. l. l. p. 175. Urbs ejusdem nominis videtur commemorari Jos. 15: 56, ubi pro יזרעאל restituendum est ירואל. Fatendum est, Chaldaeum, Syrum et Vulgatam receptam exhibuisse lectionem. Arabs deest a comm, 41 — 61. Ex Codd. Hebr. collatis nulla notata est varietas, nisi ex Kenn. 187, in quo exaratum est ירעאל; quod ipsum viam munit, qua probabilis corruptionis causa indagetur. Etenim, ו in ז propter literarum, et א in ע ob soni similitudinem, primum mutatis, librarius, cui *Jisreel* in mentem venerit, literas transposuit; quo facto, alter τὸ ע inseruit. In *hoc* nomine exarando Codd. non tantum Hebraei, sed etiam Graeci, ubique dissentiunt. Hi v. c. Jos. 19: 18 (in Cod. Vat.) illud reddunt ἰαζῆλ, Jud. 6: 33, et Hos. 1: 5. (in Codd. Alex. et Vat.) ἰεζραὴλ,

Jud.

Jud. 6: 33 (in Cod. Oxon.) Ἰσραήλ, alia, quorum haud pauca specimina exhibet ed. Holmes. ad Jos. 15: 56. Praecipuae lectionis varietates h. l. Ἰαρεὴλ (Vat.) ἀριήλ (Ox.) revera ex alia, atque recepta, lectione videntur fluxisse. Alex. Cod. scriptio Ἰεζδραὴλ emendationem spirat, quippe quod rarissime hoc nomen tam plene scribitur. Josephus secundum antiquissimos Codd. alibi scripsit ἀζάρου πόλιν (pro quo Suidas Ἰζάρου π. legit), alibi Ἰσραέλ. (Vid. Reland. Palaestina. II. p. 605).

Praeterea observandum est, Jos. 15: 59 in textu recepto 11 urbium nomina excidisse, ex Graecis supplenda (Θεκὼ — πόλεις ἕνδεκα, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν). Omissionis causa facilis est, si librarius oculorum errore ex altero וְחַצְרֵיהֶן ad eamdem formulam, omissam sententiam quoque absolventem, transierit. Malitiae Judaeorum hanc omissionem perperam tribuit Hieronymus (ad Mich. 5): quem jam bene refutavit Reland. l. l. p. 643. seqq. Inter urbes, in omissa pericope enumeratas, etiam est καρέμ. Eadem est urbs, quae hodie dicitur عين كرم, (Hamelsv. l. l. I. p. 377) et, ut videtur, ab Hebraeis vocabatur בית הכרם Jer. 6: 1 (cf. nota 11). עין nimirum et בית ante nomina propria aliquando omittuntur. Constans praeterea fere est regula, nomina Arabum et Judaeorum hodierna cum antiquis locorum nominibus convenire. Vid. Cl. Gesen. in notis ad. itiner. Burckhardtii I. p. 482. seq.

(8) Carmel locus, a Maone diversus, fuit. Jos. 15: 55 memoratur מעון כרמל, ubi ו ante כ excidit, quam Kenn. 77, 85, 187, 154 et forte 90 exhibent. Praeterea Syrus, Hier. et Vulg. cum omnibus Graecis Codd., exceptis paucis, qui quum καὶ aliis locis innumeris brevitatis causa supprimere solent, h. l. omni auctoritate sunt destituti. Propter literarum ו et ן vel ר (nam nonnulli Codd. antiquiores scribebant מעור, cujus rei vestigium forte inest lectioni Cod. Vat. μαωρ) similitudinem illam literam facile omitti potuisse, nemo non videt.

Maônem et Carmelem sibi invicem fuisse vicinas, ex 1 Sam. 25: 2. et ex loco nostro verosimile est. Carmel jacebat in monte ejusdem nominis. Eam ob causam Saülus hinc *descendit* Gilgâlem (1 Sam. 15: 12.) et Davides suos jussit *adscendere* Carmelem (1 Sam. 25: 5.). Inter illos, ad quos Davides, Ziklagum redux, praedae partem misit, in Graeca versione memorantur οἱ ἐν καρμήλῳ, quo nomine haec urbs designatur, ut ex reliquis urbibus huic finitimis, vs. 27. seqq. recensitis, liquet. In Hebraeis etiam h. l. nonnulla desiderantur. Sub Romanorum dominio haec urbs adhuc superstes erat. Vid. Rel. l. l. I. p. 230. Hieron. (de locis Hebr.) *Carmelus*, in-

inquit, *ubi quondam Nabal Carmelius fuit, nunc villa est* Carmelia *nomine* cet. et in voce Maon. *Maon in tribu Juda contra solis ortum Daromae.* Praeterea in comm. ad Jes. 29: 17 et Amos 1: 1 diserte distinguit montem apud Ptolemaidem et montem, ut dicit, Carmelium. Eusebius vici, *Carmelis* nomine, mentionem injecit, ubi tunc temporis Romanorum praesidia posita erant. Willermus Tyrius (de bello Sacro XX. c. 30.) *Carmeli* mentione facta (quam etiam a monte, mari imminente, bene distinguit) *erat*, inquit, *ibi vetus et ingentis magnitudinis piscina, quae ad usum universi exercitus aquarum ministrabat copias.* Vid. Michael. Supplem. ad lex. p. 1351. seq. Mons hodie eodem nomine nuncupatur, ut perhibet Seetzen. laud. a Rosenm. l. l. p. 124. Iter hinc Hierichuntem intra bidui spatium perficitur.

Quae cum ita sint, miramur Theodoretum et Procopium Gazaeum, locum Eusebii laudantes, contendisse *montem* hujus nominis in hoc tractu non esse (vid. Rel. l. l. II. p. 695.) et nonnullos ex recentioribus eos vel secutos esse vel dubium movisse, utrum antiquitus in eodem monte ejusdem nominis vicus fuerit. Si quaeras, quare duo Palaestinae loca idem nomen acceperint, ratio afferri potest probabilis. Hebraei a locorum opportunitate nomina haud pauca desumserunt. Omnibus nota sunt oppida, a colle vel a monte, quibus imposita erant, מִצְפָּה dicta, ut ex pluribus hoc unum memorem. Sic כרם et כרמל antiquitus idem videntur denotasse, nimirum *vineam*. Hinc oppidum Jos. 15: 60 in Graeca versione in hoc ipso tractu novimus, כרם. Carmel, mari adjacens *vineis* erat consitus, ut Hier. ad Jer. 4: 26 testatur. De altero monte hoc etiam constat. Uzzias 2 Chr. 26: 10 agricolas et *vinitores* habuisse dicitur בהרים ובכרמל. Quin imo eorum montium, montis Septentrionalis imprimis, fertilitas in proverbium abiit, ut Graecorum *Tempe* et recentiorum *Paradisus*. Itaque hoc nomine deinceps vocantur *regiones quaecunque*, arborum sylvarumque amoenitate et soli fertilitate insignes, in horti modum justo ordine excultae v. c. Jes. 10: 18. 16: 10. 29: 27. 32: 15, 16, Jerem. 2: 7. 2 Reg. 19: 23. Jeremias vero, cap. 48: 33, quamquam Jesajam imitatur (16: 10.), videtur tamen nomen proprium intellexisse, locum nimirum, Maoni vicinum.

(9) Tractus Ethanis locus erat amoenus et ab antiquissimo inde tempore celebratissimus. Talmudici referunt Salomonem, aquae ductu exstructo, aquas hinc Hierosolyma deduxisse. Recentiores itinerarii fere omnes in eo consentiunt, aquarum hic ad-

adesse copiam, easque ex fonte, Bethlehemo proximo, oriri (vid. Rel. l. l. I. p. 500, 504. II. p. 553) Josephus (Antt. VIII. 7: 3) *ἦν*, inquit, *δὲ χωρίον τι ἀπὸ δύο σχοίνων Ἱεροσολύμων, ὃ καλεῖται μὲν Ἠθάμ, παραδείσοις δὲ καὶ ναμάτων ἐπιῤῥοίαις ἐπιτερπὲς ὁμοῦ καὶ πλούσιον. Εἰς τοῦτο τὰς ἐξόδους αἰωρούμενος ἐποιεῖτο (σολομών).* Notissimos fuisse Ethanis rivulos, apparet ex LXX versione. Illos autem vocem Hebraeam locis laudandis literis Graecis tantummodo rescripsisse, cum hanc non intellexerint, non probabile est. Prior locus est, Ps. 74: 15, אתה הובשת נהרות איתן, quae sic Graece redduntur: *σὺ ἐξήρανας ποταμοὺς ἠθάμ.* Legerunt איתם vel עיטם. Cum hac versione consentiunt Vulg. et Aeth. Alter locus est Jud. 15: 8, ubi Simsonus, profligatis Philistaeis, secessisse dicitur בסעיף סלע עיטם. Codex Rom. textum receptum sequitur hac ratione (*καὶ ἐκάθισεν*) *ἐν τρυμαλιᾷ τῆς πέτρας ἠτάμ.* Sola versio Armenica, ex Graeco fonte derivata, cum eo convenit, ut in Holmesii editione h. l. notatur. Reliqui Codd. Graeci, quibus se adjungit Theodotion, locum ita vertunt (*καὶ κατῴκει*) *παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ ἐν τῷ σπηλαίῳ ἠτάμ*, et haec, levissimo admodum discrimine, omnes libri MSS. exprimunt. Itaque quaeritur, utra vera sit lectio. Arabs, h. l. Graeca non secutus, nihil definit, neque etiam Vulg. (*descendens habitavit in spelunca petrae Etami*) quaestionem dirimere potest, nisi prius constet, eam h. l. Hebraeis non esse accommodatam. Lectio Hexaplaris fuisse videtur *παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ*, quae, dum ab Origene in plurimis reperiretur exemplis, ab ipso in ipsius recensione recepta, et deinde propagata est in iis, qui hanc sequebantur, Codicibus et Versionibus, in quibus est v. c. Slavonica. Non ergo miramur, lectionem Codicis Rom., si haec revera altera sit antiquior, tandem in oblivionem abiisse; si vero illa sit emendatio, textui, temporis lapsu forte depravato, adaptata, (cujus speciem prae se fert,) res est singularis, illam in aliis Codicibus non esse receptam. His perpensis, duplex superest conjectura: prior, veram lectionem fuisse aut בנחל סלע״, quae a librariis ex comm. 11, in quo eadem verba repetuntur (בסעיף ס״ א״) sit depravata, aut ״ בנחל בסעיף״, (coll. Jes. 57: 5); quo facto vitium illud omnibus Versionibus (Graeca excepta), et Codd. est antiquius. Quare altera sententia aliis forte magis placet, verba *παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ* respondere Hebraeo סעיף, in quo reddendo LXX haud raro lapsi sunt. Nullum tamen superest indicium huic vocabulo antiquitus fluminis notionem tributam esse, nisi statuas Graecis interpretibus notam fuisse significationem, in voce Arabica شغب (*locus, quo aqua per terram inter*

 daos

duos montes fluit) retentam, eamque ab iis statim adhibitam esse, cum rivulos Ethanis vel ipsi vidissent, vel eorum fama ad eos perlata fuisset. Eusebius et Hieron. (in Onomastico) *torrentem, juxta speluncam Ethanis fluentem*, etiam commemorarunt (vid. Rel. l. l. p. 296).

(10) Mentio fit τοῦ מדבר תקוע 2 Chr. 20: 20 et ἐρήμου Θεκωὲ 1 Macc. 9: 33. Urbs etiam recensetur Jos. 15: 60 inter illas urbes, quae, in Cod. Hebr. omissae, in Graeca versione enumerantur cf. nota 7. Ipsum nomen videtur indicare, hanc etiam urbem a pastoribus primum fuisse conditam. תקע nimirum imprimis adhibetur de *pennis tentorii, terrae infigendis*, conf. Gen. 31: 25. Jer. 6: 3. Nomen hujus urbis Graece scribitur Θεκὼ, Θεκωὲ vel Θεκουὲ, apud Josephum etiam Θεκουέ. Genuina τῶν LXX, Origenis et Hieronymi scriptio est Θεκουὲ vel Θεκωὲ, quippe qui Patach furtivum per E breve exprimunt. Vid. Cl. Gesen. Geschichte der Hebr. Spr. cet. p. 192, 199, lehrgeb. p. 79. Quae vocales cum in pronuntiando vix audirentur, interdum omissae sunt. Hinc derivandum est illud Θεκὼ, eamque ob causam ע finalis saepius excidit in hoc nomine, v. c. 1 Chr. 2, 14. in Kenn. 101, aliisque in vocabulis.

(11) Jerem. 6: 1. Judaei excitantur, ut, relictis Hierosolymis, Chaldaeos adventantes aufugerent, et tuba clangentes Thekoae, ignesque accendentes על בית הכרם, harum regionum incolas instantis periculi certiores redderent. Locus hic, teste Hieron. ad h. l., Hierosolyma inter et Thekoam situs erat, in monte, qui hodie *Bethulia* dicitur. Vid. Pocock. l. l. II. p. 72 seqq. A *vineis* nomen habebat. De locis Thekoae vicinis uberius agit, ibique nonnulla, scitu digna, de hac urbe refert, Harenberg. Amos. Propheta expositus, Introduct. p. 44.

(12) Sic auctor lexici Geographici: تقوع من قرى البيت المقدس يضرب بجودة عسلها المثل, *Thekoa est vicus terrae sanctae, cujus mel propter praestantiam in proverbium abiit.* Vid. A. Schultens vita Salad. Ind. in voce.

(13) Bahaoddinus (in vita Salad. p. 237 ed. laud.) mentionem facit τοῦ نهر تقوع, qui Parasangam aberat Hierosolymis, et aquam, Richardi, Angliae regis, exercitui sufficientem, praebebat. Fluvius ille idem esse videtur atque lacus, qui commemoratur 1 Macc. 9: 33. Jonathan et Simon, quo Bacchidis insidias evitarent, ἔφυγον εἰς τὸν ἔρημον Θεκωὲ, καὶ παρενέβαλον ἐπὶ τὸ ὕδωρ λάκκου 'Ασφάρ (Cod. A. ἀσφὰδ) coll. Joseph. Antt. XIII: 2. 1. (τὸ ὕδωρ τὸ καλούμενον λάκκου 'Ασφάρ). Quin Uzzias במדבר fodisse dicitur ברות רבים 2 Chr. 26: 10, quo loco, ut ex seqq. liquet,

trac-

tractus, de quo nunc sermo est, indicatur. Minus recte Reland. l. l. p. 268. u. λ. α. existimat 'Ασφὰρ vel 'Ασφὰλ esse nomen loci. *Mare mortuum* indicatum fuisse Macc. l. l. perperam contendit Harenberg (Comm. in Am. p. 557), pro 'Ασφὰρ collato Jes. 35: 7 Σαραφὰ restituens.

(14) Cyrillus in praef. ad Am. ἦν, inquit, *ἀμὼς ἐκ θεκουὲ, κώμης πρὸς αὐτοῖς κειμένης τοῖς τῆς ἐρήμου πασίν.* De discrimine Hieronymum inter et Eusebium, (in Onomastico) locum definientes, Reland. (II. in voce) aliique egerunt.

(15) Hoc saepius factum esse, ex Scriptoribus cum Orientalibus, tum Occidentalibus, notum est. In his Bar Hebraeus in Chronico haud semel ejus agendi rationis mentionem injecit. Vid. Hamakerus, vir Cl., in narratione de expeditionibus adversus Dimyatham susceptis p. 63.

(16) V. c. Matth. 1: 10. in Cod. Vat.; Cod. Alex. 2 Reg. 21: 18 pro *ἀμὼν* perpetuo exhibet *ἀμώς*, et similiter in Cod. Alex. 2 Chr. 33: 20 seqq. semper *ἀμὼς* repetitur, ubi Vat. *ἀμὼν* reservavit; conff. etiam Jer. 1: 2. et G. L. Spohn ad h. l. et locus Eusebii ex Codice Regio supra in textu laudatus.

(17) Graeci reddunt 2 Reg. 3: 4. מֵישַׁע מֶלֶךְ, *μωσὰ βασιλεύς*: *μωσαβὰ* in Codd. 56 et 246. (ed. Holm.) est vel repetitio literarum priorum vocis sequentis, vel ejusdem scripturae compendium.

(18) Chaldaeus Hebr. voc. retinuit h. l., Ps. 78: 47 et Jes. 9: 10. Etiam Syrus Jes. 9: 10, 1 Reg. 10: 27 et h. l. (ܫܩܡܐ). *Ficum* significavit Ps. 78: 47 (ܬܐܢܐ), quo loco Arabs cum eo consentit (تين). Neque illud hic observavit h. l. et Jes. 9: 10 توت (id est *morum*) utens. Secundum Giggejum tamen his vocabulis etiam *sycomori*, secundum alios, *mori* intelliguntur. At vero ܬܬܐ (Luc. 19: 4), quod respondet vocabulis *συκομορέα* et (Matth. 21: 19) *συκῆ*; ܬܘܬܐ, quod exstat Luc. 17: 6 (*συκαμίνον*), ut et ܬܬܐ et توت sunt *mori*. Atque hos etiam intelligit Bar Hebr. l. l. p. 227: 19, narrans, multas arbores ܙܝ̈ܬܐ ܘܬܘ̈ܬܐ ܘܚܘ̈ܚܐ, *olivas*, *moros*, *prunos Damascenas*, Nesibi vento vehementi eradicatas fuisse. Hebraeorum magistri voce תות *morum* insigniunt, *sycomorum* vocant aut בנות שקמה aut גמזין (Drusius ad Am. 7: 14), quod respondet جُمَّيز, ab Arabe 1 Reg. 10: 27. adhibitum. Discrimen fortasse facile est dirimendum, si statuamus, sycomorum, quam aliquam et *fici* et *mori* speciem prae se tulisse contendunt (vid. Salmasius in exercitt. Plin. I. p. 526 seqq.)

ab

ab aliis *fici*, ab aliis *mori*, proprio suo nomine ab aliis interdum nuncupatam fuisse. Sycomorus enim *ficum* (cujus fructus et magnitudine et forma fructus illius est simillimus) genere, *foliis* morum referebat (Warnekros l. l. XI. p. 246 seq.) Hanc arboris proprietatem redolet etiam Graecum vocabulum *συκόμορος*, vel, quod, Hesychio notante, idem est *συκομορέα* (Luc. 19: 4). Cum his in Alexandrina versione permutatur tertium nomen, ex Hebr. factum, *συκαμῖνος*, locis ex V. T. supra laudatis et ap. Joseph. Antt. VIII. 7: 4. Ab aliis v. c. Aquila, Symmacho, h. l. et (ut Theodor. ad Ps. 78: 47 notavit) ab *ἄλλαις ἑρμηνεύταις* Ps. l. l. praefertur *συκόμορος*. Conjunguntur alibi, ut Jes. 9: 10. in Hexaplis *ἀπὸ συκαμίνων ἢ συκομόρων*. Pari ratione veteres Graeci haec duo nomina, quibus etiam *συκῆ*, (cui interdum, ut magis definiatur, additur *Αἰγυπτία*) apponatur, sibi invicem substituerunt. Quod ut probetur, provocasse sufficiat ad lexicon Schneideri (in voce *συκῆ*), glossam abscribentis, qua *συκῆ* utroque vocabulo explicatur. Vid. etiam Salmasius l. l. Itaque probabile est Graecos sycomorum, maximeque Aegyptiacam, primum vocasse voce, quam a Phoenicibus forte acceperant. Qua temporis lapsu inveterata, vocabulum proprium sibi finxerunt. Quod licet magis deinde usitatum fuerit, nomen antiquum non prorsus interiit: ita tamen ut nonnumquam explicandi causa vocem, tunc pluribus tritam, adscriberent. Cujus rei vestigium superesse videtur in Cod. 95. Holm. 1 Chr. 27: 28, ubi *συκαμίνων* in margine explicatur *μορ.*, id est, vel *μόρων*, vel, si librarius ad extremam vocis partem attenderit *συκομόρων*. Graeci enim *arborem* dicebant *τὴν συκάμινον, τὴν συκόμορον*, aliove nomine; *fructum τὸ συκάμινον, τὸ συκόμορον* vel *τὸ μόρον*. De sycomoris porro multa egregia, lectuque dignissima dixit et collegit Warnekros, quem supra jam aliquoties laudavimus, l. l. XI et XII. p. 224 seqq. Mittimus ergo reliqua, quae ceteroquin observari mererentur.

(19) Luc. 19: 4. *συκομορέαν* reddit [illegible], id est, *ficus insipidus*. Posteriori vocabulo nihil in Graecis respondet. Quod si in reliquis locis, ubi idem vocabulum occurrit, etiam additum fuisset, interpreti, fructum circumscribenti, tribuendum esset. Nunc vero, cum hoc solo loco additum est, librarii cujusdam, cui ingratus fructus sapor non latebat, glossa videtur.

(20) Theodoretus postquam in praecedentibus dixerat: *τὸ δὲ συκάμινα κνίζων, ὁ μὲν Ἀκύλας ἐρευνῶν συκομόρους ἡρμήνευσεν, ὁ δὲ Θεοδοτίων χαράσσων συκαμίνους, ὁ δὲ Σύμμαχος ἔχων συκομόρους*, paucis interjectis, in quibus de incisione fructus egit, sic pergit:

git: *τοῦτό τοίνυν εἰκὸς νενοηκέναι, τοὺς ἑβδομήκοντα καὶ τὸ κνίζων ἀντὶ τοῦ χαρακῶν ἢ συλλέγων τεθεικέναι.* Vindicat igitur Versioni Alexandrinae suam lectionem, eamque explicat. Illud vero *ἢ συλλέγων* otiatur, et nemini eorum, quos commemoravit, Interpretum tribui potest. Innotuit haec lectio tantum ex scholio illo, quod Schleusner. in lexico in voce *κνίζων* commemorat, et ex glossis Suidae, cui, putanti Symmacho illud deberi, non facile is fidem habebit, qui erroris originem perspexit. Suidae glossa haec est: *κνίζων.* *'Ακύλας, ἐρευνῶν, Θεόδοτος* (lege *Θεοδοτίων*). *χαράσσων. Σύμμαχος, ἔχων, ἢ συλλέγων.* Quae, ut alia permulta, petiit ex Theodoreti commentariis, quibus diligenter usus est, sed quos negligentius, more suo, excerpsit. Codicem praeterea sequitur operum illius, qui optimis certe non annumerandus est, et passim ita cum Coisliniano convenit, ut non dubitandum sit, quin uterque et Coislinianus, et Suidae Codex, Theodoreti scripta exhibens, vel ex eodem fonte, vel alter ex altero fluxerit; cujus consensus specimina daturi sumus quando de veteribus Interpretibus agemus. Ejusdem vestigium huic ipsi loco inest, quia pro *χαρακῶν χαράσσων* substituit. Verum in eo *videtur* esse dissensus, quod Suidas *συλλέγων* Symmacho tribuat, quod in textu recepto et in Cod. Coisl. Theodotionis esse dicitur. Causa forte haec est. *Συλλέγων* adscriptum erat in Codice Theodoretiano, quo usus est Suidas, *priori*, quam laudavi, sententiae, in qua quoniam Symmachi interpretatio postremo loco recensebatur, illud cum vocabulo *ἔχων*, margini fortasse proximum, conjunctum sit. In aliis contra Codd. alteri sententiae additum erat: quorum alii brevitatis causa Symmachum omittebant, alii omnes explicationes ex praecedentibus repetebant. Quo facto librariis nihil facilius fuit, quam lectionem, margini mandatam, pro suo arbitrio textui inserere.

(21) H. l. in LXX tantum legitur. Apud Aquilam et Theodotionem hoc respondet, Hebr. קֹרֵץ Prov. 6: 13, ubi hoc de *oculorum nutu* adhibetur. Non refert simul קֹרֵץ בְּעֵינָיו, sed tantum prius vocabulum, cum hoc Aquilae proprium sit, ut verba singula reddat. Eidem voci Hebr. respondet *κνίζων* Prov. 16: 30 (quo loco de labiis, dentibus arcte compressis, agitur), apud eosdem et Symmachum. Sic Graeci dicunt *κνίζειν τινὰ*, *aliquem pungere, lacessere, ad iram excitare*, quae est notio metaphorica, a propria *fricandi* notione derivata. Cum his conveniunt aliorum dicta, a Schleusn. laudata (in voce): Hesychii duplex glossa: *κνίζων, τοῦτ' ἔστι κέντων, ὥστε γενέσθαι πέπειρα*; alterum: *κνίζων ἢ κνιζείων, λυπῶν ἢ συκαμίνα τέμνων*; Suidas:

κνί-

κνίζων, *αἰτιατικῇ λοπῶν ἢ τέμνων*, et lexicon Cyrilli MS. Brem. *κνίζω*, *ἀποτέμνων*. Quibus denique addendus est Theodoretus l. l. vid. not. 20.

(22) Hieron. ad h. l. in comm. *Cum essem armentarius et ruborum mora destringerem, tulit me dominus, sequentem gregem.* Deinde ipsum vocat *humilem pastorem et rusticum.* Cyrill. Alex. ad h. l. *ἦν μὲν αἰπόλος, ἀγροικόντε καὶ ἁπλῆν, καὶ ἀκακουργὶ (ἀκακουργὸν?) βιοτεύων ζωὴν, ὀλίγα δὲ παντελῶς τὰ εἰς τροφὴν ἔχων, καὶ τοῖς ἐξ ἄγρων ἀρκούμενος, ἃ μηδὲ ἄν περικιτοι τις, ταῦτα δὲ ἦν συκαμίνα. σχολαῖοι γὰρ ὄντες τῶν ποιμνίων οἱ ἐπιστάται, τὰς τῶν δένδρων σκιὰς ὑποτρέχουσι, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἀργίας ἐγκλήματα μονονουχὶ διαπαίζοντες, καρποὺς ἀποκνίζουσι, καὶ τῆς γαστρὸς τὴν ἀνάγκην, ὡς ἂν ἐνδέχοιτο, θεραπεύουσιν.* Theodoretus l. l. *περὶ γεωργίαν τοίνυν φησὶ (ἀμὼς) καὶ προβατείαν, ἔχοντά με σπουδὴν, ἀνέλαβε κύριος ἐκ τῶν προβάτων, καὶ προφητεύειν ἐκέλευσε.*

(23) Quaestio de scholis Prophetarum nunc quidem adhuc in tenebris latet, sed tamen verosimile esse videtur, eas tunc temporis inter Judaeos revera exstitisse, licet earum in Cod. Sacro non diserta mentio facta sit. Primo non abhorret a plerorumque Judaeorum Regum, qui religionis causae omni modo prospicere studuerunt, agendi ratione, ut ejusmodi instituta servata, restaurare et juvare voluerint, quorum quaenam vis fuerit ad pios animi sensus alendos, germanam legis Mosaicae cognitionem et sincerum Jehovae cultum adjuvandum, quisque novit.

Accedit, maximum Doctorum in regno Judaico numerum fuisse, quorum maxima quidem pars *falsorum Prophetarum* nomine nuncupatur, singuli vero earum scholarum alumni esse videntur. Erant illi nimirum etiam Doctores publici, per urbes transibant, etiam in templo docebant Jer. 23: 10, 11 (מְרוּצָה h. l. conferri potest cum usu verbi *τρέχω* et *δράμω* 1 Cor. 9: 26. Gal. 2: 2. Phil. 2: 26). Iisdem formulis utebantur, atque reliqui Vates: *sic loquitur Jehova* (Jer. 23: 31. coll. Mich. 3: 11), *vaticinia*, *visiones*, *somnia* jactabant (Mich. 3: 6. Jer. 14: 14. 23: 16, 17, 25. 27: 9, 16). Hinc iisdem nominibus vocantur, נְבִיאִים (Deut. 13: 1. 18: 20 et apud Jer. aliquoties), חֹזִים, (Micha 3: 7), eodemque vestitu erant induti (Zach. 13: 4). Minus severe tamen suo officio fungebantur. Populi, Regis, Sacerdotum gratiam ambiebant (Mich. 2: 11. 3: 5, 11. Jer. 23: 34. 27: 16 seqq. Thren. 4: 13), dum alii, nulla aliorum habita ratione, libere loquerentur (Mich. 3: 7, 8). Praeterea illi orationibus habendis quaestum faciebant, quod Michas acerbe perstrinxit (3: 11): *argenti causa vaticinantur Prophetae* (Hierosolymorum), *qui* (3: 6), *si quid habe-*

beant, quod dentibus manducent, acclamant, pax sit tibi; si nihil ori ipsorum inditur, bellum parant. Atque hic mos tunc temporis invaluit. Sic nempe optime explicatur dictum Amaziae (Am. 7: 12) *fuge in terram Judae; ibi panem ede, ibique Vatem age*, id est, ibique, vaticinando victum quaere. Rem egregie illustravit *Palmius*, Vir Cl. in Scholis MSS. ad h. l. *Ita*, inquit, *solent in hunc usque diem Oratores circumforanei orientales, qui suis ex tempore prolatis orationibus vel carminibus victum petunt. Res omnibus notissima est, qui Haririi consessus, à Schultensio editos, legerint. Addi autem meretur locus ex eodem adductus ad Excerpt. ex Hamasâ* p. 537, *qui Latine sic sonat: « tum coepit « iis explicare ea, quibus simul ingenia expoliret, simul crumenas exhauriret. »*

Tertium addatur argumentum, illas scholas Amosi aetate inter Judaeos exstitisse. Amaziam Amosum pro Judaeo habuisse ex ejus dictis (Am. 7: 12) probabile est. Quibus hic ita respondet: *Non sum Propheta, neque filius Prophetae.* Sunt quidem, qui putent ironiam hic verbis subesse, ac si dixisset: *non patre Propheta natus sum, non is sum, qui, ut multi inter vos, inter Israëlitas, Vatum munus hereditario jure a patre accepi.* At ironia non adeo propria est Amoso, et haec sequentibus minus convenit. Fatendum est, scholarum illarum alumnos, vulgo dici בני הנביאים, non בני נביא. At vero levius est discrimen, neque obstat, quominus statuamus, *varios* Scriptores, et imprimis Amosum, cujus dicendi ratio in multis a reliquis discedit, hac formula *eosdem* intellexisse. Formula autem illa conferri meretur cum Persarum dicendi ratione, *filii Magorum*, id est, *discipuli*, et Pauli verbis *ἐγὼ Φαρισαῖος εἰμί, υἱὸς Φαρισαίου* (Act. 23: 6) Pharisaeus sum, isque germanus, quoniam Pharisaeo doctore usus fui, conf. Cl. Gesen. in Lexico sub vocc. בן et נביא, ejusdemque comm. in Jes. ad cap. 19: 11, quo loco latius de ea re exposuit. Buxtorf. in voce נגר l. l., *« non est artifex, neque « filius artificis* (id est, neque discipulus), *qui solvere possit illam quaestio- « nem. » Respondet Rabbi Schebeth: « ego non sum artifex, nec filius artificis « et tamen solvam illam. »* Drusius in hanc rem affert illud Basilii Magni (Hom. in Ps. 33) *τέκνον γὰρ ἐστὶ πνευματικὸν τοῦ διδασκάλου ὁ μαθητής*, et Augustini contra Adamantium Manichaeum cap. 5, *alio modo filii dicuntur secundum doctrinam, ut filius ejus in ea re quisque appelletur, a quo aliquid didicit: sicut filios suos* (v. c. Phil. vs. 10) *vocat Apostolus, qui ab illo didicerunt Euangelium.*

 Ita-

Itaque hic est Amosi verborum sensus: *non sum Propheta, neque scholae princeps, neque Prophetae cujusdam discipulus.* Recte omnino Cyrillus Alex. ad h. l. docet: ὡς οὔτε προφήτης ἦν οὔτε μὴν προφήτου·γεγόνει υἱὸς κατὰ μαθητείαν δὲ πάντως, ἤγουν κατὰ πνεῦμα, φημὶ, καθάπερ ἀμέλει καὶ Ἐλισσαιὲ τοῦ Ἠλίου. Minus recte Cl. Rosenm. vertit *non Propheta ego fui* (היית) *ab initio.* Sic etiam LXX οὐκ ἤμην προφήτης ἐγὼ, cum quibus faciunt Arabs et Syrus. Hieron. *non sum Propheta, sive non eram.* Hoc nimirum Amosus tantum dicere voluisse videtur. *Licet Prophetae instar ad populum loquar, non tamen noto illi Prophetarum ordini annumerandus sum.* Cum loco nostro conferri meretur Zach. 13: 5, ad locum nostrum forte compositus.

(24) Prius vitium in Codice Graeco, quo usus est Theodoretus, est lectio ἐν καριαθιαρεὶμ, in permultis Codd. recepta: (secundum ed. Holm. in Codd. 22, 136. marg. ab al. manu ut in ed.) 42, 51, 63, 87, 97, 228, 238, 310, Ald. ἐν καριαθηαρὶμ 91. ἐν καριαθιαρὶμ 95, 185, 240 et Slav. ἐν καριαθὶμ 114. Videtur illa lectio ex emendatione fluxisse. Librarius fortasse in vocabula ἐν νακκαρεὶμ vel ἀκκαρεὶμ incidens, iisque nomen proprium indicatum esse putans, ignotae urbi urbem notiorem substituit. In proximis Thekoae mentionem factam fuisse animadvertens, ipsi, si vel loca finitima ipse viderat, vel ex Jos. 15: 60 noverat, sponte in mentem venit urbs vicina, quae καριὰθ βαὰλ vel καριαθιαρεὶμ Graece dicebatur. Idque eo magis verosimile est, si Graeca in Codice ipsius in compendium fuerint redacta: quo facto finis vocabuli huic conjecturae admodum favebat. Lectio ed. Compl. ἀκκαρκὶ ex ejusmodi scripturae compendio sine dubio orta est. In Cod. 106. ab al. m. inter lineas insertum est βραχὺ, quod a librario, qui Patrum sententiam noverat, additum esse videtur.

Alterum vitium in Graeco Theodoreti Codice est lectio περὶ ἱερουσαλὴμ, quod respondet, Hebr. על ישראל. Omnes Graeci Codd. consentiunt, hoc uno excepto, quod alii ἐπὶ (22, 42, 51, 86, 95, 185, 240), alii ὑπὲρ (ut Vat.) praeferant. Vitium illud ortum est, ex compendio scripturae vel in Hebr. Codd., vel in Graecis. Hebraei nempe ירושלים saepe scribebant per compendium ירוש״, et ישראל per ישר״, vel, ut alii volunt יש״, quod in nummis observatur (vid. Cl. Gesen. Geschichte cet. p. 173 et lehrgeb. I. p. 10). Potius tamen credam, compendium in Graecis Codd. huic rei ansam dedisse, ut Drusius, Dahl., alii, non immerito suspicantur. Nomen enim urbis, ut Drusius (ad h. l.) vult ισρλμ, vel, ut, in Cod. Alex. ιλημ: no-

nomen gentis ισρλ, (Drusius) vel ισλ (Dahl.) vel, ut in Cod. laud. ιηλ scribitur (vid. Woid. Notitia Codicis Alex. ed. a G. S. Spohn. Lips. 1788 p. 54). Hinc explicatur, quare Am. 1: 2 pro ἱερουσαλὴμ Cod. 26. legat ἰσραήλ, quod cum illo etiam permutatur 1 Chr. 5: 41 (in Graecis 6: 15) in Cod Alex. et 44, 56, 60: dum alii, ut Rom. 19, 93, 108, 121 Hebraea sequuntur. Et vicissim Am. 2: 6. Ald. ed. et Codd. nonnulli, quos Drusius inspexerat, pro recepta lectione ἰσραήλ, nomen urbis posuerunt. Quamobrem lectio Am. 1: 1 corruptioni, de industria factae, perperam tribuitur ab Anonymo (J. M. Faber.) in Eichh. repert. fur bibl. und Morgenl. litt. IV. p. 210.

Addamus, quae ad locum Cyrilli referenda sunt, vel legendum esse ἐν αὐλαῖς, collatis iis, quae de Amoso in comm. ad vs. 1. dixit, eum nimirum vaticinia sua accepisse ἐν καιρῷ τοῦ ποιμαίνειν, ἐπὶ καὶ αὐτοῖς τῶν προβάτων αὐλαῖς; vel, quod forte praeferendum est, quae est egregia conjectura Hamakeri viri Cl. ἐν αὐτοῖς τοῖς ποιμνίοις: ita ut Codicum varietas ἐπ' αὐτοῖς et ἐν αὐτοῖς tandem h. l. coaluerit.

(25) Amazias ille in Apologetico adjecto operibus Cyrilli Alex. (VI. p. 258. c. ed. Paris.) vocatur πασχὼρ, ψευδοπροφήτης καὶ δαιμονίων θεραπεύτης. Amaziam cum Paschure, templi, Jeremiae aetate, antistite (Jer. 20: 3 et 38: 1) permutatur. Quod tamen minus mirum est iis, seqq. inspicientibus, ubi Jeremiae, qui permulta ab hoc adversario perpessus est, mox mentio fit.

(26) Quid sit illud ἐνέδρα nescio. Forte legendum est ἐν ἕδρᾳ, et vertendum *in templo*, ita ut idem sit, atque ἕδος, quod a Timaeo in lexico Vocum Platonicarum explicatur: τὸ ἄγαλμα. καὶ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἵδρυται: ad quem locum conf. Ruhnkenius (ed. prim. p. 67. sec. p. 93), qui hanc vocis notionem exemplis probavit. Quod cum recipiatur, verba ὅτι ἤλεγχεν αὐτὸν περὶ τῆς ἐνέδρας τῶν δύο δαμαλίων τῶν χρυσῶν, quae apud Cyrillum in seqq. leguntur, sic legenda sunt: ὁ. ἤ. α. π. τ. ἕδρας. τ. δ. δ. Si vero ἐνέδρα *ipsam adorationem* possit significare, nulla opus erat immutatione. Haec tamen notio non nisi ex Etymologia (ἕζω) et antiquitate potest defendi: nam adoratio fiebat flexo genu, ita ut is, qui adorabat, *sedentis instar* esset.

Libri de Vitis Prophetarum cum Codd. A. et F. collatio saepius inservit ad lectionem vicissim emendandam. Sic in vita Hoseae pro ἱδρύσει ἐν σιλὼμ (in Codd.), reponas ἡ δρῦς ἡ ἐν σιλὼμ (vel σηλὼμ F) propter frequentem literarum ι et η permutationem. In vita Joelis (Epiph.) οὗτος ἦν ἐκ ἄγρου βηθὼμ — ὁρῶν δὲ ἀπέθανεν lege

ό. η. ε. α. *βεθομόρων* vel *βηθ.* — *ἐν βηθομόρων δ. α.* (Codd. A et F ob solennem *μ* et *β* in exemplis MSS. variationem *μεθ.*): de qua urbe vid. Rel. Pal. II. p. 650. Nec mirum est Codd. in hoc nomine dissentire, si inspicias lectionis varietatem in Graecis ad Jos. 15: 27. In vita Michae ap. Epiph. legitur *καὶ ἐτάφη — ἐν τῇ γῇ αὐτοῦ μονώτατος, συνεγγὺς πολυανδρίου ἐνακεὶμ* in Codd. *καὶ — μόνος — ἐν 'Ακεὶμ.* De Nahumo in Cod. Aug. haec feruntur *οὗτος ἦν ἀπὸ 'Ελκεσεῖν πέραν τοῦ βάριν*, (F *πεῖραν ταύτην βάριν*) *ἐκ φυλῆς συμεών.* In Epiph. *ο. η. α.* *'Ελκεσεΐ πέραν τοῦ 'Ιορδάνου εἰς βηγαβὰρ ἐκ φυλῆς σ.* Pro *τοῦ βάριν* vel *ταύτην βάριν*, in Codice, ex quo A et F descripti sunt, forte legebatur *πέραν τοῦ τὴν βάριν* (quae lectio etiam exstat teste Rel. l. l. II. p. 748 in Hesychii Presbyteri libello de vitis Proph. *πέραν τοῦ τὴν βαρεὶν*) corruptum ex *π. τ. βητβαρεὶν* vel potius ex *π. τ. ἰορδάνου εἰς γῆν βαρίν.* Intelligitur enim urbs בֵּית עֲבָרָה, vel ut scribitur, ע ob levem sonum omissa, Jud. 7: 24 ב׳ ברה. Codd. Gr. in hoc nomine reddendo dissentiunt. Alii scribunt *βητααβαρὰ*, ex quo fluxit *βηθαβαρὰ* et *βαιθβηρὰ* (Jud. 7: 24 in Codd., quos secuti sunt edd. Ald. et Compl.). Ex compendio scripturae $\overline{\mathrm{BTP}}$ factum esse videtur *βαιθηρα* (Jud. l. l. in Codd. Vat. Alex. Ox.): ex $\overline{\mathrm{B\Theta P}}$ vero *βηθαρὰ* Joh. 1: 28, pro quo alii Codd. legunt *βηθαβαρὰ*, alii, propter obscuram scriptionem, ex conjectura *βηθανία.* T omissa est, in voce בית, ut saepius, et ע, quod etiam interdum fit, reddita est per Γ, nisi haec h. l. ex litera T orta sit. Hinc nomina *βηγαβὰρ* et *βηγαβρί.* Plerasque earum scriptionum exhibet Rel. l. l. II. p. 621, 626, 748.

(27) Bar Hebraeus in vita Amaziae (in Chronico p. 21) haec habet: ܗܝܕܝܢ ܡܬܢܒܝܢ ܗܘܘ ܗܘܫܥ ܘܥܡܘܣ ܘܢܚܘܡ ܘܝܘܢܢ (ܘܝܘܢܢ). Tunc vaticinati sunt Hoseas, et Amosus, et Nahum et Jonas. Abulfaragius, cujus narratio h. l. narrationis B. H. est compendium, haec etiam omisit. Elmacinus in vita Amaziae (in Cod. MS. Bibl. L. B.) haec tradidit: وكان في ايامه من الانبياء اليشع ويونان وناحوم وتنبي غاموض (عاموص .l) ووبخ بني اسرايل علي عبادة الاصنام والكواكب ونحن نذكر يسيرا من نبواتهم قال النبي قال لبني اسرايل قال الرب ابغضت اعيادكم ولا اسرا (اسر .l) بقرابينكم (Am. 5: 21) لعل قربتم لي ذبايح وقرابين اربعين سنة يا ال اسرايل وحملتم خيمة كارون (كيوان .l) وزحل اصنامكم الكواكب التي جعلتموها الهة سياتكم (ساشبيكم .l) الي نواحي دمشق (5: 25—27) فسمع اموصيا الملك فقال لغاموض (لعاموص .l) لا تعود تتنبي في بيت الملك فاجابه ليس كنت انا نبيا ولا بن (ابن .l) نبي لكن راعيا وملقط حطبا والربه ساقني

ساقني من خلف الغنم وقال اذهب وتنبي علي اسرايل (7: 12—15) وقال الرب لي ما ذا التي تري يا عاموص قلت علامة الاجل فقال قد حضر اجل شعبي ولا اعود احيزه عنهم وسقط مجدل الهيكل (8: 1—3) ويكون في ذلك اليوم قال الرب اغيب الشمس في نصف النهار واظلم الارض في اليوم المضي واقلب اعيادكم الي الحزن والحانكم الي النوح وتستملوا (وتشتملوا .l) بالمسوح علي ظهوركم لانه سيجي ايام يقول الرب يكون الجوع علي الارض ليس جوع الخبز ولا عطش الماء بل الي كلام الرب ويجتمعون من البحري والمشرق والمغرب وتسعون الي طلب الكلام كلام الرب ولا تصلون (8: 9—12) وتتمت نبواته في كتاب الانبياء

« Et vivebant ejus aetate ex Prophetis Elisa, Jonas, Nahumus: etiam Amosus vaticinatus et comminatus est Israëlitas propter cultum idolorum et astrorum. Nos autem colligemus pauca ex vaticiniis ejus. Dixit Propheta: sic alloquitur Israëlitas. Dominus dicit: odi dies vestros solennes, neque laetor sacrificiis vestris (Am. 5: 21). Forsan obtulistis mihi sacrificia et munera quadraginta annos, o popule Israëlitarum, et gestastis tentorium Karouni (Kiwani) et Saturni, idoli vestri, stellae, quam gestastis. Deus abducet vos ad tractus Damasci (Am. 5: 25—27). Rex Amazias, his auditis, dicebat Amoso: ne pergas vaticinari in domo Regis. Amosus respondebat: equidem non sum Propheta, nec filius Prophetae, sed pastor, et ligna caedo. At Dominus me ab ovibus abduxit et dixit: age, vaticinare contra Israëlitas (7: 12—15). Dixit etiam mihi Dominus, quid illud est, quod vides, o Amose. Dixi: signum finis. Tum dixit: Profecto praesens adest finis populi mei, neque iterum illum arcebo ab iis, et evanescet Templi gloria (8: 1—3). Hoc efficiam die illo, dicit Dominus, ut occidat sol medio die, et tenebris obducatur terra luce fulgente: convertam festa vestra in luctum et cantilenas vestras in naeniam, et saccos lumbis obvolvent. Itaque incidite, o dies, dicet Dominus; erit fames per terram, non fames panis, neque sitis aquarum, sed verbi Domini. Et colligentur a septentrione, ex oriente et occidente; periculumque facietis quaerendi verbi, verbi Domini, neque (eo) pervenietis (8: 9—12). Integra absolvuntur ejus vaticina in libro Prophetarum. »

Omnia igitur loca ex Amosi libro sunt desumta, quare in superioribus potius legam نبواته; nisi auctor prius consilium habuerit aliorum etiam Prophetarum loca describendi, deinde vero, promissi immemor, in dictis Amosi substiterit. Pleraque loca in

com-

compendium sunt redacta, neque ex versione, quae in Bibliis Polyglottis exstat laudata, sed, ut videtur, ab auctore ex memoria Arabice reddita. Videtur tamen Elmacinus Hebraeam linguam calluisse. Insunt tamen his nonnulla, quae accuratius expendi merentur, quae singula in Commentario, quem edituri sumus, suo loco tractanda sunt. Haec duo tantum h. l. moneo: alterum pertinet ad nomen Jonae, alterum ad versionem vocis Hebr. מִצָּפוֹן Am. 8: 12, quod h. l. redditur من البحري proprie *a parte maritima.* Exinde enim videmus auctorem (qui mortuus est anno post C. N. circiter 1260) in Aegypto haec scripsisse. Significat *ventum, plagam septentrionalem*, quare huic vocabulo apud Abdollatifum opponitur قبلي id est *ventus, plaga meridionalis.* Vid. Cl. Sacy rélation de l'Egypte p. 342. De nomine *Jonae* hoc tantum observo, illud h. l. eodem modo scriptum esse, atque in Arabica versione, quae in Bibliis Polyglottis exstat, nempe يونان. Vera tamen lectio esse videtur يوناز, ut in aliis libris Arabicis hoc nomen legitur. Vitium ex facili permutatione literarum ن et ز si haec modo paululum incurvetur, commode explicatur. Syri nimis temere illud receperunt, cum apud B. H., tum in Syriaca Polyglott. versione. Ne quis putet existimasse Elmacinum, Amosum etiam Uzziae aetate floruisse, adjiciemus ex ipsius narratione de hujus regni historia, hanc sententiam وكان في ايامه من الانبياء هوشع وعوريا واموص واشعيا ويونان, *et vixerunt ejus aetate ex Prophetis Hoseas et Urias* (Sacerdos summus, 2 Reg. 16: 10) *et Amosus et Jesajas et Jonas.* Nam Judaeorum more *patrem* Jesajae Prophetis annumerasse videtur.

(28) Nihil praesidii ex variantibus Graecorum Codd. lectionibus in ed. Holm. repetere possumus. Idque potius fatemur, quam ut vanis argumentis propositam conjecturam vindicare videamur. Omittuntur quidem in quibusdam Codd. haud pauca. Sed probabilis omissionis causa latet forte in vocabulo ὀρέων repetitione; qua factum sit, ut, oculis librarii aberrantibus, verba intermedia ibidem desiderentur in 4 Codd. (62, 86, 231, 240), in quibus orationis tenor hic est καὶ φραχθήσεται ἡ φάραγξ τῶν ὀρέων ἕως cet, ubi post ὀρέων omissa sunt haec: μου καὶ ἐγκολληθήσεται φάραγξ ὀρέων. Alterum illud φάραγξ, etiam recurrens, ansam dedit, ut in Cod. 36 verba τῶν ὀρέων — φάραγξ alterum praetermissa, et margini (exceptis μου καὶ) deinde adscripta sint. Denique ratio, quare in seqq. καὶ ἐμφραγήσεται in Cod. Alex. minori charactere sint exarata, tribuenda esse videtur librario, in hac aliave lectione ἐμφραγχθήσεται eligenda, haerenti.

(29)

(29) Josephi auctoritatem maximi habuerunt Patres, quorum testimonia Haverkampius suae editioni praemisit. Ipse se veritati studuisse diserte profitetur: Antt. VIII: 2. 8. P. Brinch. *in Chronolog. et hist. Flavii Josephi examine*, editionis Haverk. adjecto, iniquius interdum de ejus fide judicat. Nam solenni v. c. formula ὡς ἑκάστῳ διαλαμβάνειν, non videtur indicasse, se ipsum relatis fidem non habere, sed potius, cum Relando (in nota ad Antt. II. 16. 4. ed. laud.) haec verba ab eo addita esse existimem, ut Graecis, quibus suos Antiquitatum libros scripsit, succurreret, siquidem miris narrationibus offenderentur, eosque a scriptis suis legendis non deterreret.

(30) Nonnulla in narratione Josephi ex Jes. 6 esse recepta, verosimile est, imprimis si Josephus, vel quisquis ejus auctor fuerit, Graeco Codice usus est. In eo enim sententia (v. 1): *laciniae ejus* (vestis) *templum implebant*, more Chaldaei interpretis, non proprie reddita est; dictionem nimirum, verbotenus acceptam, Jehova indignam esse, Graecus interpres etiam censebat. Sic vertit καὶ πλήρης ὁ οἶκος ἦν τῆς δόξης αὐτοῦ. Haec autem latent forte in his Josephi verbis καὶ διαστάντος τοῦ ναοῦ, φέγγος ἡλίου λαμπρὸν ἐξέλαμψε. Praeterea ex h. l. (v. 4) forte recepta est mentio *concussorum liminum*, *quorum bases vacillasse* dicuntur.

(31) Syrorum invasiones, regnante Jehuo, qui annos 28 imperavit, jam inceperant (2 Reg. 10: 32 seqq.). Continuatae sunt, vivente Joachaso, qui regnavit 17 annos (13: 3 seqq.). Joasus demum, qui annos 16 Israëlitarum Rex fuit, Syris sub Benhadado praevaluit (13: 22 seqq.). Joasi victorias, capta Damasco, perfecit Jerobeamus II, annos 41 decem tribus gubernans. (14: 26 seqq.).

(32) Gathitarum Regis mentio fit 1 Sam. 27: 2 sqq. 1 Reg. 2: 39 sqq., cujus nomen erat Achis, cui ditio quaedam fuit subjecta. Oppidum enim, Ziklag, Davidi habitandum concessisse dicitur (1 Sam. 27: 6). Urbs illa vocatur (ibid.) עיר הממלכה: quod tamen non ita intelligendum est, ac si reliquis Philistaeorum urbibus imperaverit; nam quaeque libera erat, suosque magistratus habebat (סרנים Jos. 13: 3. 1 Sam. 6: 17 cet.). Hoc tantummodo l. l. indicatum esse videtur, urbem illam esse regiam, et totius urbi subjectae ditionis caput. Etiam credibile est, illam majore forte, quam reliquas 4 civitates, auctoritate et potentia tum polluisse, quae causa fuerit, quare Davides huc effugerit, et deinde, in pulcherrima illa de Jonathanis morte elegia (2 Sam. 1: 20) urbes, *Gath* et *Askelon*, pro universa Phi-

lis-

listaeorum terra commemoraverit. Quin etiam nomen, *Gath*, Hebraeis illa aetate horrorem injicere solebat. Heroes aluerat istos, *Goliath*, *Raphae filios*, aliosque permultos (1 Sam. 17: 4, 2 Sam. 21: 19—22, 2 Chr. 20: 6, 8). Auctor libri Chronicorum hanc urbem caput totius Philistaeae fuisse, videtur existimasse. Hic enim 1 Chr. 18: 1 vocabulum האמה (2 Sam. 8: 1) reddidit גת ובנותיה, de qua vocis אמה significatione conf. Cl. Gesenius in lexico (in voce). Urbs erat munitissima locique natura et situs nova ipsi emolumenta dederant. Quae cum perspexissent Judaeorum Reges, hanc urbem expugnatam tenere omni studio conati sunt. Hanc Rehabeamus munivit ad regni fines confirmandos (2 Chr. 11: 8). Hazael Hierosolyma expugnaturus, eam, hujus urbis forte propugnaculum, antea cepit (2 Reg. 12: 18). Uzzias, Philistaeos bello aggressus, urbis *moenia diruit* (2 Chr. 26: 6). Quod quonam consilio fecerit, non constat. Fortasse ita vindictam sumere voluit de injuriis, a Gathitis olim, et proximo tempore Judaeis illatis: non enim verosimilitudini obstat, quominus illi Hazaeli auxiliati sint, eique ex sua urbe, quaecunque opus erant ad expeditionem perficiendam, subministraverint. Gath, muris dejectis, brevi post in oblivionem abiit. Quod utrum factum sit, quoniam moenia destructa erant, an propter aliam, eamque gravissimam cladem, quam deinde quoque acceperit, nescimus. Hoc, quamquam non traditum est in Hebr. Cod, est verosimilius. Docetur enim l. l. Aschdodum etiam munimentis privatam fuisse; atque haec urbs haud ita multo post tanti existimabatur, ut Assyrii Aegyptum, et Aegyptii Asiam deinceps expugnaturi, hanc ante capiendam esse duxerint, quam ad consilium suum perficiendum pergerent. Jesajae enim aetate a Tartano, Sargonis, Assyriae Regis praefecto, capta est (Jes. 20: 1), et postea sub Psammeticho, 29 annorum obsidionem sustinuit (Herod. II: 157). Neque aliud superest vestigium אשדוד l. l. Chr. (primo nempe loco) antiquitus omissum esse, nisi apud Josephum, si Codicis cujusdam auctoritati narratio ipsius superstructa est. Hic enim hanc urbem non memoravit (Antt. IX: 10, 3): *στρατευσάμενος δὲ καὶ ἐπὶ Παλαιστίνους, καὶ νικήσας μάχῃ, πόλεις αὐτῶν ἔλαβε κατὰ κράτος, Γίτθαν, καὶ Ἰάμνειαν καὶ κατέσκαψεν αὐτῶν τὰ τείχη.*

Urbe eversa, de reliquis 4 civitatibus apud Scriptores sequentes tantummodo sermo fit. Hinc Gathis nullam mentionem fecerunt in oraculis contra Philistaeos Jesajas (14: 28—32), Zephanias (2: 4), et Ezechiel (25: 15—17). In scriptis Jeremiae, quae dicuntur, c. 25: 20, Gaza, Askelon, Ekron, et Aschdodi *reliquiae* (שארית),

(שארית); cap. 6: Gaza et Askelon solae commemorantur, et Zach. 9: 5 Gath quoque reticetur. Non itaque mirandum est, Amosum 4 illas urbes tantum recensuisse et de τῷ Philistaeorum שארית (1: 8) locutum esse, et praeterea 6: 2 urbis eversionem, vel calamitatem vehementissimam, quae ipsi acciderit, ob oculos habuisse. Duo, quantum scio, sunt loca, quae dictis adversentur: alter Michae, alter Josephi, quae afferuntur fortasse ab iis, qui dicant, hanc urbem ante Hiskiae aetatem tam gravem cladem non accepisse. Josephus narrat Hiskiam expugnasse *ἁπάσας τὰς ἀπὸ Γάζης μεχρὶ Γίττης πόλεις* (Antt. IX: 13. 3.). Sed Josephus vel minus considerate scripsit, vel potius hac formula totam Philistaeorum terram denotavit, quoniam urbes illae, altera in termino meridionali, altera in septentrionali sitae erant: quo facto minime necesse est, ut statuamus urbem, Gath, eumdem tunc splendorem, atque antea, habuisse. Gravior est Michae locus, ubi Vates miseram Judaici regni conditionem adumbravit, eo tempore, quo Sanheribus expeditionem suam susceperat. Illic enim (1: 10) dixit בגת אל תגידו: quae tamen cum ex proverbiali dicendi ratione possint explicari, nulla difficultas superest. Videntur enim haec verba desumta esse ex Davidis carmine, de quo jam egimus. Ibidem (2 Sam. 1: 20) haec leguntur אל תגידו בגת *ne annunciate* (in urbe) *Gath*, *neque nuntium deferte in plateas Ascalonis; ne laetentur Philistaeorum filiae, ne exsultent filiae eorum, qui praeputium habent.* Ac merito ita cecinit Poeta, cui Gathitae insidias struxerant (2 Sam. 21: 11, 12), quem ipsi ceperant (Ps. 56: 1), cui exacerbatus ipsorum animus omnium notissimus fuit. *Ne igitur*, sic sensus videtur esse, *ne dolori dolorem addatis, ne illa hostibus dicatis: quorum gaudium furibundum meam tristitiam gravissime augebit.* Haec explicatio eo melius ferri potest Mich. 1: 10, si carmen illud vulgi ore tritum fuerit, et haec verba, mentionem exhibentia urbis, Hebraeis tam invisae, huic imprimis placuerint. Nihil enim jucundius iis erat, quam etiam Heroum res gestas celebrare, in Gathitas patratas (1 Chr. 7: 21. 8: 13; coll. 1 Sam. 8: 6, 7). Etiamsi ergo urbs Michae aetate jam devastata fuerit, nihil impedit, quominus Michas proverbium usitatum adhibuerit, hoc volens, *ne calamitati calamitatem, ne malo malum subjungatis.*

Superest ut de loco l. Chronicorum (2 Chr. 26: 6) agamus. Quae nimirum adduntur in fine vix aliquam sanam interpretationem videntur admittere. Clericus sic vertit: *aedificavitque urbes in Aschdodaeorum et aliorum Philistaeorum solo.* Pu-

 tat

at illa באשדוד ובפלשתים sic esse supplenda בארץ א׳ ויתר הפ׳, *in terra Asch-dod et reliquorum Philisthaeorum.* Eum secuti sunt Dathius, nulla annotatione addita, aliique, quorum nonnulli, difficultatem bene perspicientes, *loca munita* intellexerunt, quae Uzzias, quo melius Philistaeos contineret, exstruxerit. At vero עיר qua ratione *arcem* vel *turrim* potest denotare? Tunc potius ponendum esset מבצר, vel simile quid. Illud autem: *urbes in urbe aedificare*, (qui est sensus verborum), quisque videt, quam sit ineptum? Locus certo est corruptus, et glossis auctus, idque ultra dubium ponendum est ei, qui veteres Interpretes consuluit. Arabs et Syrus haec verba *et aedificavit* cet. cum toto versu sequenti omiserunt. Ea autem, quae praecedunt, sic legerunt *et diruit murum Gathis et Gazae* (pro *Jabnae*) *et Aschdodi.* Eoque magis hicce consensus mereatur attendi, cum uterque Interpres, licet in his libris haud raro conveniat, saepius tamen dissentiat, v. c. in iis, quae Arabs in fine cap. praeced. addidit, quaeque non tantum in textu Hebr., verum etiam in Cod. Syr. desiderantur. De Graecis Codd. plura observanda sunt. Codd. Vat. et Alex., levi discrimine excepto, in eo consentiunt, quod textum receptum verbotenus exprimant: *καὶ κατέσκασε τὰ τείχη γὲθ, καὶ τὰ τείχη ἰαβνὴρ* (A. *ἰαβεὶς*), *καὶ τὰ τείχη ἀζώτου, καὶ ᾠκοδόμησε πόλεις ἀζώτου, καὶ ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις.* Quae si textui Hebraeo accurate respondent, ex Cod. desumta sunt, in quo ב omissa, exaratum erat ערי אשדוד. Quod cum vidissent librarii, Graeca deinde textui, postea vulgo recepto, accommodata sunt. In Codd. nempe Holm. 95 et 108 repositum est *ἐν ἀζώτου*, quae lectio in Complutensi editione, quae pleraque non sine Codicum auctoritate recepit, etiam reperitur. Sed longe abest, ut Vat. et Alex. exempla, ne de aliis Codd., haec sequentibus, loquamur, probent, illam *veram textus Hebr.* vel etiam *antiquissimam Graecae versionis* esse *lectionem.* Huc usque enim ne horum quidem Codicum aetas accurate definita est (cf. Amersfoordt diss. de vars lectt. Holm. L. B. 1815. p. 153 et 155). Quamcunque vero de eorum aetate sententiam amplectantur, omnes sine dubio consentient, versionem Graecam eo, quo illi descripti fuerunt, tempore tantopere jam corruptam fuisse, ut de vera lectione non semper ex iis possit judicari. Hoc loco saltem glossae in textum sunt receptae, quae aliis in exemplis omissae sunt. Cyrillus Alex. locum illum quoque descripsit in comm. ad Jes. (ed. laud. II. 242): *καὶ κατίσχυσε τὰ τείχη γὲθ, καὶ τὰ τείχη ἀζώτου, καὶ ᾠκοδόμησε πόλεις ἀζώτου καὶ ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις* cet. Illud *κατίσχυσε* est vitium, tri-

C 2 bnen-

buendum vel Cod., quo usus est, vel Cyrillo ipsi, vel operum editori. Quidquid eligatur, verosimile est, hoc ex vs. 7 oculorum errore esse desumtum. Praeterea omisit *καὶ τὰ τείχη Ἰαβνήρ*. In Codd. Holm. alia in aliis desunt. In Cod. 106 tota sententia *καὶ κατέσκαψε — ἀλλοφύλους* in vs. 7; quod tamen explicandum est ex repetitione ejusdem vocabuli, qua deceptus librarius a voce *ἀλλοφύλους*, quod proxime huic sententiae praecedit, ad illud transiit. Ob similem errorem in Cod. 119 *καὶ ὠ. π. α.* praetermittuntur. Alius generis sunt aliae omissiones. In Codd. 74, 120, 121, 134 desunt *καὶ ὠ. π. α. κ. ε. τ. α.*; in Cod. 236 *ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις*. Neque omittenda est lectio in Cod. 121, qui, cum per totum versum *τὰ τείχη* habet, initio tamen pro *τὰ τείχη Γὲθ* hoc in *τὰ χείλη Γ.* (*oras*) mutavit. Quod si de industria factum sit, eo magis observari meretur, quoniam *Jabne et Azotus* diu postea floruerunt, Gath vero in *vicum* est mutata. Fieri igitur potest, ut *oras* spatium forte indicaverit loci, ubi haec urbs antea sita fuit. Hieronymus nimirum (in comm. ad ad Mich. 1. et in libro de locis Hebr.) *Geth*, inquit *ostenditur vicus in quinto milliario ab Eleutheropoli euntibus Diospolim.*

Denique de Codd. Hebr. nonnulla observanda sunt. Codd., quos intelligo, sunt 80 et 150. Kenn., quorum ille medio sec. 13, ut videtur, exaratus, *plurimas habet variationes et nonnullas pretii haud vulgaris*, ut ait Kenn. in diss. generali p. 77. Speciminis loco Cod. ille 80 conferatur ad locum Gen. 31: 15, ubi cum Graecis et Cod. 227 K. suspecta verba אלהי אביהם omittit, de quo digna sunt, quae inspiciantur dicta in Kenn. diss. sup. rat. text. Hebr. V. T. a Tellero edit. I. p. 352 seqq. et de Rossi ad l. l. Cod. 150 cum Samaritano אל' אברהם legit. Num. 22: 5 Cod. 80 cum Sam. Syr. Vulg. legit עמון pro עמו (vid. de Rossi). Ceterum Cod. 150 innumeras habet lectiones, in iisque haud paucas egregias, a Masorethaorum recensione diversas, quae vel cum aliis Codd. plurimis, vel cum Versionibus, aut omnibus, aut nonnullis, mirifice conveniunt. Quae si quis explorare velit, loca inspiciat 20, a Kenn. in diss. gen. p. 83 notata, quibus si instituti ratio permitteret, alia adjungere possemus. Nunc vero de loco nostro egisse sufficiat. Uterque Codex omittit verba יבנה ואת חומת. Arabs et Syrus חומת brevitatis causa forte semel verterunt. Haec tamen in illis exemplis desunt propter oculorum errorem, ex vocis repetitione ortum, et in Cod. 80. ערים באשדוד, quae glossam spirant. Etenim, ut, his omnibus perpensis, meam qualemcumque de hoc loco sententiam proferam,

 ver-

verba *et aedificavit* cet. ex variis glossematibus conflata sunt. Mittamus vocales additas, postquam haec sententia tota in textum erat recepta; cui, ut sensum quemdam tribuerent, eas, quae hodie leguntur, elegerunt. Quae cum teneantur, verosimile est, antiquitus in quibusdam Codd., v. c. in iis, quibus Syrus et Arabs usi sunt, nomen urbis, *Jabne*, fuisse omissum, quod ut restitueretur, margini appositum esse videtur וְיַבְנֵה *et Jabne*. Hoc propterea eo probabilius est, quoniam hujus urbis nomen in aliis exemplis alium locum occupavit vel omnino deëst. Apud Cyrillum Alex. l. l. ejus mentio prorsus desideratur, et in textu, quem Bar Hebraeus (Chron. p. 24) secutus est, illud tertio loco ponitur. Locus est hicce [illegible] [illegible]. Nam sine dubio legendum est: [illegible] *et Jamnae*, id est, [illegible] et [illegible], ut saepius fit, permutatis, *Jabnae*. Quid vero sit [illegible] non assecutus sum. Minus facile explicari potest, undenam illa "בא" "ע fluxerint. Nullibi superest indicium, hujus urbis nomen in Codd. olim omissum fuisse, nisi apud Josephum l. l. (Antt. IX: 10, 3), qui *γίτταν* et *ἰαμνείαν* solas commemoravit. Itaque dubius haereo, utrum illud hac Josephi auctoritate possit recipi, an alia potius explicatio quaerenda sit. Atque haec non desideratur, si statuas librarium quemdam vocabulo "יַבְנֵה margini Codicis olim adscripsisse hanc notam; על ים אשדוד, *ad mare Aschdodi* (coll. Gen. 16: 7). Cujus hoc consilium fuerit, ut moneret lectorem, quaenam haec urbs, et ubi sita esset: nomen autem nonnisi hoc loco in Hebr. Cod. occurrit. Omnes enim certe noverant urbem *Jamniam*, quae in historia Judaeorum magnas partes egerat, eamque ob causam cum a Judaeis, tum ab exteris Scriptoribus saepius commemoratur; at minus notum fuit fortasse nomen *Jabne*. Illud adhibetur cum in libris Apocryphis, tum in Josephi et Philonis scriptis, ne dicam Graecos nomine illo Graeco, una cum Latinis, usos fuisse. Haec causa fuit, quare LXX interpretes Jos. 15: 46, Codicem non nitide scriptum ob oculos forte habentes, ex vocabulo וְיַבְנֵה *et mare versus*, in hujus urbis memoriam statim inciderint. Vera enim hujus loci lectio exstat in Cod. Alex. Ἰεμνά, quae in Cod. Vat. in Γεμνά depravata est. Si igitur illa glossa Alexandrinum auctorem habuerit, non mirandum est, illam in Codd. Palaestinensibus non subito fuisse receptam; cujusmodi forte usi sunt Syrus et Arabs. Apud Judaeos Palaestinenses v. c. in scriptis Talmudicis nomen *Jabne* retentum est, (Ligtfoot. Opp. II. p. 371), quod ab iis Arabes receperunt, (A. Schult. Vita Salad. Ind. v. [illegible]), et nomen hodiernum esse dicitur.

Ve-

Verum est, urbem hanc in locis campestribus sitam fuisse, ubi etiamnunc urbis reliquiae inveniuntur (Rel. Pal. II, p. 824. Rosenm. Handb. II. 2. p. 563 seq.); sed Rosenmullerus Vir Cl. (l. l. p. 367), duas ejusdem nominis urbes fuisse, ex Plinio (H. N. V. 13 *Jamnes duae; altera intus*) et ex Syro 1 Macc. 6, 15 interpretatione, ubi pluralis ܝܡܢܝܢ exstat, probat: cf. etiam Judith. 2, 28, et, ubi *portus* commemoratur, 2 Macc. 12, 9. Si igitur duae ejusdem nominis urbes fuerint, fieri potuit, ut librarius, adscribens *ad mare Aschdodi*, urbem *mari* adjacentem indicare voluerit. Neque improbabile est, illum haec simul adscripsisse, ut hanc urbem distingueret ab alia urbe יבנאל, in tribu Naphthalitarum sita (Jos. 19, 33). Nomina nimirum יבנה et יבנאל vicissim permutata esse, conjiceres, quoniam haud levis est suspicio *Jamniam*, de qua nunc loquimur, utroque nomine olim nuncupatam esse. Hoc enim hujus urbis nomen forte occurrit Jos. 15, 11.

Glossa עַל יָם non difficile in עָרִים commutari potuisse, omnes perspiciunt, si modo reputant ל, quae saepe in Codd. ductu minore exarari solet, cum ר innumeris locis esse substitutam: quo facto, quid facilius, quam voces conjungere? Deinde ב voci אשדוד praefixa tum forte vertenda est *ad* (cf. Cl. Gesen. in voce ב. 3). Fateor me ex nullo veteri Scriptore probare posse, Mare Mediterraneum prope Aschdodum hujus urbis nomine aliquando nuncupatum esse. Neque hoc tamen a Veterum quoque consuetudine abhorret. Quod si non admittatur, altera conjectura superest, minus tamen probabilis; באשדוד ortum esse ex altera glossa, ad urbem *Jabnes* referenda, eodemque consilio adjectum ab alio בפלשתים, nimirum ut hujus urbis situs definiretur. Hoc tamen potius explicem, ex duplici lectione, quae h. l. coaluerit: בפלשתים et "על פ". עיר enim cum ב construi posse, apparet ex iis, quae Gesen. l. l. 5 observavit. Neque hoc omni verosimilitudine destitutum est, si teneas, eum, illam ו, initio vs. 7, a Graecis non lectam fuisse, tum, constructionem per על receptam fortasse fuisse, quoniam proxime sequitur ועל הערב״ם.

Quidquid igitur eligatur, vel ex dictis deinde eliciatur, hoc constat verba l. l. Chron. *et aedificavit* cet. glossis constare, quae quomodo omnes ortae, et eo, quo in textu recepto leguntur, ordine huic loco illatae sint, conjici, certo demonstrari non potest.

(33) Quaestio de libro Joëlis gravior est et amplior, quam ut a nobis, et hoc imprimis loco, possit pertractari. Cum vero aetatem ipsius definivimus, idque eum tem-

tempore, quo Amosus vixisse videtur, arcte cohaeret, haec observasse sufficiant; quibus ostendatur, quaenam rationes nos moverint, cur hanc sententiam amplecteremur.

Joëlem aetate Amosi, vel circa illud tempus vixisse, jam multi contenderunt. In his Carpzovius, hoc argumento usus, utrumque Prophetam eadem de Tyriis, Sidoniis, Idumaeis commemorasse (Introd. III. p. 75 seq. et 81). Etiam Ligtfootus hanc opinionem sequitur: qui tamen, quoniam cum reliquis Interpretibus, Amosum sub finem Jerobeami II imperii tantum vaticinatum esse, perhibet, Joëlis aetatem quoque minus recte definiuit (Opp. I. p. 91). Aliae aliorum de Joëlis libro fuerunt sententiae: quas referre non juvat. Multas exhibet Hottingerus (Thes. Philol. p. 476), ne de aliis loquar.

Verumtamen egregia est haec observatio, utrumque Vatem eadem de populis illis narravisse, eosque propter eadem facinora perstrinxisse: qui consensus non nisi hominibus, sibi fere aequalibus, tribui potest. Atque hoc cum reliquis, quae Joëlis libro continentur, tam bene convenit, iisque tantopere confirmatur, ut nullum de eo dubium superesse videatur. Haud pauca enim libro illi insunt indicia, eum conscriptum esse circa annum 15 regni Hiskiae; quo facto, licet Amosus tum jam mortuus fuerit, uterque vere sibi aequalis fuit. Itaque primo loco, ut hoc probemus, librum perlustrabimus; deinde de iis, quae populis illis imputantur, agemus.

Hiskia regnante, Assyriorum expeditiones omnium animos intentos tenebant. Omnes vel viderant ipsi, vel ex aliorum sermonibus tot tantaque de iis audiverant, ut haec recordantes cuncti horrore percellerentur. Nemo erat, cui ignotae erant Phuli, Tiglath-Pilezaris, Salmanassaris invasiones. Hic anno a C. N. 721 Phoenices debellaverat, et classe ab his combusta, spe Aegypti deinceps expugnandae exciderat. Samaria anno sequenti capta, abiit, et brevi post mortuus est. Sargon, qui ipsi successit, Tartanum, exercitus praefectum, Aschdodum misit a. 716 (Jes. 30), eamque obsidione clausit. Qua expugnata, in Aegyptum, quam tunc facilius subigere potuit, perrexit. Quisnam illius expeditionis exitus fuerit, non constat: credibile tamen est, Assyriorum res in Aegypto haud ita multo post abitum exercitus, ob turbas in Assyria ortas fortasse revocati, magna detrimenta cepisse. Etiam ab his tunc defecit Judaeorum Rex: quae agendi ratio, quum ab aliis eo tempore laudata sit, aliis tamen merito vehementer displicuit. Hi enim illis perspicaciores, periculum,

quod

quod patriae suae immineret, si Assyrii novam expeditionem denuo suscepissent, penitus perspiciebant. His Joël quoque annumerandus erat. Audiverat, ut videtur, librum illum compositurus, Sanheribum paratum esse ad vindictam, cum de Aegyptiis tum de Judaeis sumendam. Patriae amore imbutus, optima quaeque huic apprecabatur, anxiusque et sollicitus erat, hostes illos potentissimos sibi in mentem revocans, et miseram gentis suae conditionem reputans. Gaudebat quidem, cultu Mosaico restituto, adeoque *Templi*, *sacrorum rituum*, *Sacerdotum* in carmine mentionem facit (1: 9, 13—16. 2: 17); sed summa eum tristitia afficiebat regnum Judae, quod ex gravi clade, quam sub Achazo acceperat, vix vel ne vix quidem recreari coepit. Aliis nempe calamitatibus regio afflicta fuerat. *Terra* erat *exusta* et *pluviae* laborabat *inopia* (Joel 1: 19, 20. coll. Am. 4: 6 seqq.), *locustaeque*, quibus nihil perniciosius, maxima vehementia denuo saeviebant (2: 25. coll. Am. 4: 9. 7: 1). Populos denique sibi in mentem revocabat antea devictos, terras devastatas, urbes incendio deletas. Dolebat etiam fatalem regni Israëlis sortem, *cives inter gentes dispersos*, *regionem ab aliis occupatam* (4: 2, 3). *Phoenicum*, *et Philistaeorum* (4: 1, 4. coll. 2 Chr. 28: 17 et 29: 8, 9), *Idumaeorum* imprimis *injuriae* iterum iterumque ipsi succurrebant (4: 7, 19. coll. 2 Chr. locis laudd.); neque etiam *Aegyptiorum* (4: 19. coll. Am. 4: 10) oblivisci poterat: qui quaenam Judaeis, ad ipsos fugientibus, sive de industria, sive bellis, quae cum Assyriis gesserant, intulerint, historia non definivit.

Omnes illi populi memorantur; de Syris, Assyriis subjectis, et sub eorum vexillis militantibus nulla fit mentio. Israëlitas nomine non compellat: neque etiam Assyrios, qui generali voce describuntur. De his judicium fertur cap. 4; de populis finitimis, in quos Hebraeorum more graviore odio fertur, singulare exstat edictum 4: 19.

Notandus etiam est Joëlis consensus cum Amoso in commemorandis plagis, quibus eo tempore terra afflicta erat. Dictis hoc etiam addendum est, utrumque eam ob causam earum rationem habuisse in describenda aurea aetate; qua nimirum in utroque libro illa damna restituta esse finguntur (2: 23, 24. 4: 18. coll. Am. 9: 13 seqq.). Non constat, utrum idem tempus ab utroque insigniatur, quod tamen a verosimilitudine minime abhorret, si statuis, calamitatem, quam Amosus cap. 4: 6 seqq. ob oculos habet, Joëli in mentem revocatam esse; cum, quia illa, gravissima

 quip-

quippe, ipsius memoriae alte infixa manserat, tum quoniam mala, cujus causa fuit, nondum restituta erant, quum librum suum componeret. Haec profecto in terra bellis atrocibus, cujusmodi Assyriorum invasiones censendae sunt, penitus exhausta, non brevi tempore possunt resarciri. Accedit praeterea, fieri potuisse, ut agricultura, postquam haec sub Hiskia paululum efflorescere coeperat, novis locustarum agminibus invadentibus, nova iterum, eaque vix restauranda detrimenta repente et praeter spem ceperit. Quorum agmina saepius reverti, non opus est, ut moneamus; eaque quam celerrime advehi solere, Burckhardtus etiam expertus est (l. l. p. 581 seq.).

Cum istis locustarum invasionibus terribilia quaeque et horrenda Orientales comparant. Inter plagas Aegypto antiquitus inflictas non desiderantur (Exod. 10: 14 seqq.). Recurrunt locustae in enumeratione atrocissimarum calamitatum Apoc. 9: 1—12, ex Orco excitatae. Non raro hostium adventus et magnus eorum numerus harum imagine indicantur. Bar Hebraeus, *exierunt*, inquit, *Franci ex tentoriis, locustarum instar* (l. l. p. 411. : 17). *Mogoli excedebant numerum locustarum et formicarum* (p. 465. : 19). Quam egregia sit haec immensorum Orientalium exercituum cum illis comparatio, quisque sentit: minimeque mirabitur, Hebraeorum poëtas Assyriorum turbas eadem figura designasse, iis imprimis temporibus, quum locustae ipsae densis agminibus terram invasissent. Ac revera ea imagine usus est Amosus (7: 1); eadem etiam Joël, cujus luxurians, sed vere poëticum ingenium hac tantopere delectatum est, et tam presse hanc persequitur, ut allegoriam tibi legere videaris, saepiusque fere incertus haereas, utra, impropria, an propria dictio adhibeatur (v. c. 1: 6. 2: 4 seqq.). Amat imprimis ambiguum illud dicendi genus et verborum lusum, cum in nonnullis vocibus, tum in loquendi formulis eligendis. De illis conff. בוש et יבש (1: 12, 17. 2: 26, 27), שוד et שדי (1: 15), יהושפט (4: 2 et 12), quo nomine praeterea forte usus est, respiciens ad ea, quae 2 Chr. 20 narrantur. Quemadmodum Amosus ludit in vocibus *sitis* et *famis* (8: 11), ita Joël, in voce מורה (2: 23), primum ob oculos habens, notionem *pluviae prioris*, deinde, inserto illo לצדקה *doctoris* (Jes. 9: 14, Job 36: 22). De formulis cff. 2: 13. 3: 1.

At vel sic tamen haud raro manifestum est, eum revera *hostium adventum* indicasse. v. c. 2: 1 et 15, coll. Jer. 6: 1, Hos. 5: 8. *Populum*, non *locustas* intelligit 2: 2, 17, 19. Illum, eadem ratione atque recentiores gentes, ex septentrio-

trione adventantes, vocarunt *Normannos*, Joël nuncupat הצפוני, *septentrionalem* (2: 20). Hostes dispergentur, ut ait ibid., Occidentem et Orientem versus, ita ut prima acies propelleretur in loca arida et deserta, (quae sunt vel *campi Syriae*, si intelligas Euphratem voce הים הקדמוני esse designatam: cf. Jes. 27: 1 et Mich. 7: 12; vel potius *tractus planitiei Judaicae*, si vis, h. l. ut et Ezech. 47: 18 *Mare Mortuum* indicatum esse); et acies extrema periret אל הים האחרון, *apud mare Mediterraneum* (Deut. 11: 24). Hinc per totum 4 caput judicium habetur non de *locustis*, sed de *gentibus*, quae populo Jehovae illa mala intulerant (vs. 2), Judaei ad se defendendum incitantur (9, 10), et Hierosolyma, ab hostibus olim infestata, illo aureo seculo, quieta et tranquilla esse finguntur; neque etiam in posterum per ea transibunt *peregrini*, populi nempe per Palaestinam in Aegyptum tendentes (4: 16, 17). Denique, si quis, dictis perpensis, legit carminis initium (1: 2, 3), et simul reputat, has locustarum invasiones in Oriente saepius gravissimorum malorum causas fuisse, non amplius sententiam amplectetur, locustas *solas* in hoc libro descriptas esse; sed sentiet, poëtam, quoniam Judaeam illis tunc summopere afflictam videbat, hac imagine eam maxime ob causam usum fuisse: ita vero, ut, licet plerumque solos hostes intellexerit, nonnumquam tamen ad locustarum plagam respexerit.

Superest, ut agamus de aliorum populorum agendi ratione, quam et Amosus et Joël ob oculos habent, et merito perstrinxerunt. Amosus Philistaeos et Tyrios *captivorum Idumaeis traditorum* accusat (1: 6, 9): iidemque a Joële arguuntur *argentum aurumque et res sacras pretiosas rapuisse et in sua fana abduxisse*, quin *Judaeos* etiam, et ex iis *Hierosolymitanos*, *procul a patria remotos*, *Javanitis vendidisse* (Joel 4: 5). Praeterea uterque in Idumaeos invehitur: conf. Am. 1: 11, 12 9: 12 et Joël 4: 19. Duo tamen sunt, quae videntur indicare, facta diversa narrata esse: alterum est, has injurias, cum apud Amosum in oratione, cujus major pars ad Israëlitas respicit, exstant, ab hoc ad Israëlitas imprimis esse relatas: dum Joël diserte declarat Judaeos iis affectos fuisse; alterum, ne dicamus apud Amosum multa non reperiri, quae Joël commemorat, captivos, ut Amosus refert, *Idumaeis*, ut Joël, *Javanitis* traditos esse. Haec vero, quoniam discrimen non veri nominis iis inest, et tantummodo dissentiri videntur, statim, postquam Prophetarum dicendi rationem, et historiam ejus temporis exposuerimus, solventur.

Prophetae, illi praecipue, qui ante eversum regnum Israëlis floruerunt, plerumque missam faciunt gentis Hebraeae divisionem. Utramque partem eodem modo curant; populum, olim unum, deinde vero fatali discordia in duas nationes scissum, neque umquam iterum conjunctum, nihilominus tamquam unam eamdemque gentem, eodem quippe patre oriundam, et perpetuo iisdem etiam beneficiis a Jehova affectam, considerarunt. Hoc Amoso quoque proprium est (2: 9—11. 3: 1, 2. 5: 25), ita ut, quamvis interdum ad Judaeos solos (2: 4, 5. 6: 1), saepissimeque ad Israëlitas sermonem faciat, utrosque tamen mente sua arcte connectat (cap. 9). Judaei imprimis, etiamsi Israëlitas alloquitur, ipsi, Judaeo, etiam ob oculos versantur. Itaque, etsi contendere velis orationes, duobus prioribus capitibus comprehensas, coram Israëlitis habitas, vel potius ad eos scriptas esse; hoc tamen minime est mirandum, Amosum, postquam sibi in animum revocavit calamitates, quas Israëlitae perpessi erant, mox, alios populos perstringentem, ad mala, Judaeis illata, respexisse. Hanc ob causam a Syris, Israëlitarum hostibus, ad Philistaeos, Phoenices et Idumaeos se convertens, Judaeorum; Ammonitas alloquens, Israëlitarum; Moabitas notans, utriusque regni fata meminit. Quin etiam Syros perstringens, Judaeorum forte recordatus est, siquidem expeditio, a Pekacho una cum Rezino, Syrorum Rege, susccepta, jam ante, quam hanc orationem scripsit, ad finem perducta fuit.

Si ergo Amosus et Joël ad tempora sibi proxima respexerint, verosimillimum est, eos illa facinora ob oculos habuisse, quae bellorum, Achazi aetate gestorum, opportunitate perpetrata erant in *Judaeorum* detrimentum (2 Chr. 28: 17, 18. coll. 29: 8 seqq. Jes. 14: 30). Hos etiam *solos* intellexit Cyr. Alex. in comm. ad Am. 1: 6, 9; quos, ut inquit, Idumaei *τοῖς Ἑλλήνων νόμοις κατεβιάσαντο ζῆν*. Cum igitur Judaeos solos spectaverit, illud גָּלוּת שְׁלֵמָה, in l. l. Amosi, *captivitas integra* reddi potest. Alii tamen, iique summi etiam, Interpretes hoc *pacificam* verterunt: qua explicatione recepta, illi intelligendi sunt, qui pacis tempore in gentium vicinarum terram se receperant; ibi vero, postquam salutem vitaeque incolumitatem sibi pacti erant, scelestissime, hostium instar habiti, et servi in captivitatem abducti sunt. In *horum* autem numerum non tantum Judaei, sed Israëlitae quoque esse potuerunt. De vera loci hujus explicatione in posterum agemus.

De *raptis sacris*, quorum Joël mentionem fecit, historia non loquitur. Suspicantur nonnulli eum respexisse ad (1 Sam. 4: 17) arcam foederis in Philistaeam traduc-

ductam. Alii melius sane cum loco Joëlis conferunt 2 Chr. 21: 16 seqq., ubi Idumaei, cum Arabibus juncti, in Judaeam impetum fecisse narrantur, filiosque, solo Joachaso relicto, et mulieres Jorami in captivitatem deduxisse. Potius tamen credam, haec facta esse bellis sub Achazo gestis. Si enim tunc temporis multas, ut locis supra laudatis docetur, urbes ceperunt, non improbabile est, sacra quaedam quae ibi reperiebantur in hostium manus incidisse: nam non necesse est, ut apud Joëlem *Templi vasa* intelligamus. Cultus nempe Jehovae tunc temporis etiam extra Hierosolyma in collibus imprimis fiebat. Aris, iis in locis conditis, suppellex, quae etiam *sacra* dici potest, sine dubio adjecta erat cum rebus aliis, quae summa cum religione prosequebantur. Cum igitur sub Achazo publicum in Templo cultum minus curarent, ille contra ab hominibus piis majore studio tum observatus esse potuit, ideoque a Propheta probatus: licet hic, ut reliqui religionis antistites, cultum, ex Legis Mos. praeceptis in Templo peractum, ceteroquin praetulerit cultui, in collibus instituto.

Postremo autem loco *de Javanitis* est disputandum. Interpretes, quos vidi, omnes illud בני היונים Joël 4: 6 *Graecos* reddunt. Ac recte omnino יון apud Ezech. 27: 13, ubi cum *Tubal* et *Mesech*, (*Tibarenis* et *Moschis*, Ponti Euxini oras incolentibus) jungitur, *Graeciam* reddunt. Hoc verum esse, non tantum ex *addita horum populorum mentione*, sed etiam ex *mercibus*, quas Tyriis vendere solebant, apparet. Hi enim ab illis accipiebant vasa aenea et *servos*. *Maximus* autem *servorum numerus* ex iis regionibus et ex Graecia olim deducebatur. Graecos servos omnibus servis, aliunde transportatis, Orientales praeferebant (Boch. Geogr. S. III. c. III et XII. p. 181 seq.). Itaque non credibile est, Graecos illa aetate servos vicissim ex oriente traduxisse. Hoc tamen Joëlis locus, si Javanitas Graecos esse statuitur, docet. Quapropter h. l. intelligendos suspicor illos, quorum Ezech. 27: 19 mentio fit. Ibi memoratur etiam יון, quod ut magis definiatur, additum est מאוזל. Sic nimirum legendum esse, Versionum veterum auctoritas probat. Hoc loco terram, ad meridiem magis versam, indicatam fuisse, ex sequentibus, 20—22, in quibus regiones a meridie Palaestinae sitae recensentur, statim conjiceres. Ac revera tractus quidam Arabiae Felicis hoc nomine a Judaeis insigniebatur, hodieque urbs superest يون vel يوان. Hebraeos olim iis in terris degisse, etiam probabile est, cum propter eorum de iis notitiam, tum quoniam magna Judaeorum turba, deinde ibi reperta,

huc olim vel sponte abiit, vel vi delata est (Boch. l. l. II. c. 21). Joël *hoc* videtur confirmare. Perhibet enim Phoenices et Philistaeos vendidisse Judaeos Javanitis, ut illos *longe a finibus suis removerent* (4: 6). Addit deinde, fore ut Phoenices et Philistaei, eamdem sortem experti, a Judaeis venderentur לשבאים אל גוי רחוק, *Sabaeis*, *ad populum longo intervallo ab iis distantem*, abducti. (De his vid. Cl. Gesen. in comm. ad Jes. 60: 6).

Quod Amosus dixit, *captivos traditos esse Idumaeis*, tantum abest, ut nostram sententiam infringat, ut potius hanc confirmare videatur. Idumaeorum terra, Mari Rubro adjacens, sponte invitabat incolas ad commercia cum Arabibus facienda; quae, cum Phoenicibus societate juncti, illi summo cum studio revera egerunt.

Aetate Achazi portus maritimos, antea a Judaeis occupatos, Idumaei rursus tenuerunt. Illi enim a Davide subjecti, libertatem sub Joramo recuperaverant (2 Reg. 8: 20—22). Ab Amazia deinde victi, non tamen devicti sunt (2 Reg. 14: 7), et portus suos retinuerunt. Alter eorum, Elath, ab Uzzia denuo occupatus (2 Chr. 26: 2), Achazi tempore Idumaeis restitutus est (2 Reg. 16: 6).

Philistaei porro et *Phoenices* ab Amoso perstringuntur, quoniam captivos *Idumaeis* tradiderant (1: 6, 9). Arctissimum olim inter hos populos erat vinculum, quod inter Philistaeos et Phoenices propter regionis vicinitatem et ob multas alias causas jungi debebat, et vix saltem dissolvi potuit. Antiquissima quoque fuit Phoenicum et Idumaeorum, ut notum est, necessitudo, nec minor *hos* inter et Philistaeos, quorum urbes nonnullae ab advenis, ex oris Maris Rubri oriundis, conditae fuerunt (Steph. de urb. in voce. ἄζωτος et γάζα). Hoc vinculum, terrae sibi invicem vicinae, religio haud multum dissimilis, commoda denique, utrique genti communia, magis magisque adstrinxerunt. Ejusque rei indicia Hebraeorum historia exhibet, ex quibus bellum illud, Achazi aetate gestum, retulisse sufficiat.

Ac de Phoenicibus diserte narratur, eos maximam operam dedisse, ut servos sibi compararent. Pretio dato, captivos, quos Syri ceperant, emebant Tyriorum mercatores, qui, ut refertur 1 Macc. 5: 41, *in Syrorum castra venientes*, *secum duxerant aurum et argentum ad captivos Israëlitas emendos*, *et vincula* (παῖδας lege πέδας) *ad eos vinciendos*, conf. Joseph. Antt. XII. 7. 5. Aetate provectos interficiebant, viros juniores et mulieres in servitutem vendebant 2 Macc. 5: 14. Etiam Nicanor duorum millium talentorum tributum, quod Syrorum Regi solvendum erat Ro-

Romanis, ex pretio, pro captivis Judaeis a Tyriis accepto, conflavit, pollicitus, se 90 servos uno talento daturum (2 Macc. 8: 10, 11 conf. 1 Macc. 3: 41, ubi eadem narrantur). De Judaeis, in servitutem redactis, haec Joël: cujus dicta utrum proprie an ex proverbiali dictione explicanda sint, non definio: *de populo meo*, sic loquitur, *sortes ducunt: dant pro scorto juvenem, pro vino, ut bibant, filiam* (4: 3).

Captivi, in servitutem abducti, alii in alias terras saepius deferebantur. Videntur Judaei illi, de quibus Joël mentionem facit, imprimis deportati fuisse in colonias, ut ibi agros colerent, metalla effoderent, et opera quaecunque praestarent. Tyrannis, quam Phoenices in colonos exercere solebant (cl. Gesen. ad Jes. 23: 10), miseram Judaeorum sortem miseriorem etiam reddebat (cf. Ezech. 26: 17). Hinc ad illud Nicanoris factum respiciens, auctor 2 libri Macc. (8: 11) narrationi haec subjungit: οὐ προσδεχόμενος τὴν παρὰ τοῦ παντοκράτορος μέλλουσαν παρακολουθήσειν ἐπ᾽ αὐτῷ δίκην. Eamque crudelitatem atque haec omnia facinora, quae Hebraeos veteres non minus pungebant, recordantes, hos populos devoverunt Vates antiqui. Hoc fecerunt Amosus et Joël: de eaque re questi sunt Jesajas (11: 11) et Hiskias (2 Chr. 29: 9), in has querelas erumpens: *patres nostri gladio caesi, filii nostri delati, filiaeque et uxores nostrae in captivitatem abductae*. Conf. etiam Obadja: 20.

Traditio insuper hanc nostram Joëlis aetatis definitionem videtur confirmare. Fatendum est, alias aliorum Judaeorum de ea fuisse sententias. Fuerunt nimirum, qui decepti forte *vallis Josaphati* (c. 4) nomine, eum sub Josaphato: alii, (in Seder Olam), qui eum sub Manasse vixisse: Augustinus autem (de civ. Dei XVIII. c. 27), et Isiodorus, eum sub Jothamo vaticinatum esse statuerunt. Cum his etiam consentit Clemens Alexandrinus (Strom. I. p. 327. d. ed. Sylb.), qui tamen Joëlis aetatem ulterius videtur proferre, docens cum Jesaja, Micham, Hoseam et Joëlem simul munere suo functos esse (ibid. p. 328. b.). Nobis favet narratio, quae refert, quomodo traditio ab aliis ad alios transierit. Rabbini enim contendunt Hoseam hanc Amoso, Amosum Joëli, Joëlem Jesajae tradidisse (Philos. der Gesch. oder uber die trad. Francf. 1827. p. 170). Hieronymus, a Judaeis edoctus, *tempora*, inquit, *in quibus* (Joël) *prophetavit eadem debemus accipere, quae et in Osee legimus* (init. comm. in Joël). Cyrillus Alexandrinus, Hebraeos, ut dicit, sequens, statuit, Joëlem post Hoseam et Amosum, post Joëlem Micham prodiisse (init. comm.

in

in Joel). Theodoretus in prooemio, comm. in Proph. min. praefixo, Hoseam, Amosum et Joëlem ὁμοχρόνους fuisse perhibet, et diserte sequitur Hieronymum in prol. ad Joël. Sed haec hactenus, quae h. l. tangi, non exponi possunt, quaeque ab iis, qui ad Joëlis libri interpretationem accedunt, accuratius excussum iri exspectamus.

(34) *Docuerunt*, sic legitur in Baba Bathra c. 1. fol. 14, *Rabbini nostri: ordo Prophetarum est: Jehosua, Judices, Samuel et Reges, Jeremias, Ezechiel, Jesajas et Duodecim Prophetae minores.* Idem ordo etiam observatur in Masora M. S. Bibl. Palat. Nec tantum in horum librorum enumeratione veteres Rabbini a recentioribus aberrant: etiam in disponenda Hagiographa, cujus haec apud illos est series, *Ruth, liber Psalm., Job., Prov., Eccl., Cant. Canticorum, Threni, Daniel, Esther, Esra, Chronica.* Vid. Buxtorf. Tiberias cap. 11. p. 111.

(35) Cyrillus Hierosolymitanus (Catech. IV. N°. 33—36) non tantum libros, ut ita dicam, Hagiographicos alio ordine recenset, sed etiam Prophetas, qui, libro 12 Prophetarum adjecti, ita se invicem sequuntur: *Jesaja, Jeremia cum Barucho, Threnis et epistola, Ezechiel, Daniel.* Hic ordo quoque tenetur in Canone 60 Concilii Laodiceni (360—364) et in Can. Apost. 85, hoc discrimine, quod post Jeremiam libri, in superioribus huic adjecti, omittantur. Epiphanius, misso Danièle, illum Canonem sequitur (in libris de mensuris et ponderibus c. 22 et 23). In Can. 36 Concilii Hipponensis (anno 393) post Prophetarum minorum scripta *Jesaja, Jeremia, Daniël, Ezechiel* exhibentur. Loca laudata descripsit Cl. Wettius einl. §. 26 et 27. In Codd. Holm., XII (Marchialanus, sec. 8), 87 (Chigianus, sec. 9), 97 (sec. 10), 239 (anno 1046), 91 (sec. 11), et Cod. Aug., qui opera Theod. exhibet, (sec. 9 vel 10) Prophetae majores etiam minores sequuntur.

(36) Hoc testatur Eusebius (H. E. VI. 25), Origenis ad Ps. 1 dicta commemorans, ad quem locum hic Judaeorum sententiam exposuerat. Disertius Hieronymus in Prologo galeato ordinem, ab his observatum, tradidit. *Quintus est*, inquit, *Jesajas, sextus Jeremias, septimus Ezechiel, octavus liber duod. Proph., qui apud illos vocatur Theresar.* Hieronymi aetate Prophetae minores in Codd. Hebrr., nonnullis saltem, Hieronymo cognitis, eodem, atque hodie vulgo tenetur, ordine positi erant. Ille nimirum (init. comm. in Jes., et proöem. in Am.) *Amos*, inquit, *tertius 12 Prophetarum*, et (proöem. in Mich.) *Micha sextus in Cod. Hebr*

Hebr. Conff. etiam dicta in proöem. ad Joël. Neque ab hac dispositione dissentiunt cum Cod. Aug. in Proph. Min. collocandis (Opp. Theod. II. praef. p. 5 ed. laud.), tum Masorethae, perhibentes medium omnium 12 Proph. versum esse Mich. 5: 12; quo simul ostenderunt se hos pro uno volumine habuisse. Eamdem ob causam librarius Cod. 245. Kenn. Joëlis et Amosi libros forte tamquam *partem praecedentium* consideravit. Etiam in 112, 149 Kenn. Joël et Obadja praecedentibus, nullo spatio relicto, connexi, et saepius in aliis libris MSS. literae majusculae in singulorum librorum initio omissae sunt.

(37) Eliae Levitae sententiam probant multi Codd. Kenn.: 17, 25, 30, 96, 145, 149, 150, 246, 249, 337, 601, 602, 158, 159, alii, qui omnes, ut dicitur, charactere Germanico sunt exarati; etiam Cod. ejusdem 153 charactere Gallico scriptus. Conff. dicta Rossii de Codd. Kenn. 4, 149, 150, 180, 224, 249, 366, 587, imprimis de 590 (in prolegg. I. p. 95 seqq.). Idem etiam Rossius observavit in Codd., ab ipso collatis, 2, 20, 226, 368, 380, 440, 579, 663, 737. Si Matthaeus Graecum Codicem habuerit, in quo Jeremias et Ezechiël praemissi erant Jesajae et libro 12 Prophetarum; totum Prophetarum volumen a Jeremia incipiebat: cum autem novimus ex Luc. 24: 24, morem tunc etiam obtinuisse, a primo libro reliquos, qui volumini comprehendebantur, appellare, facile explicatur, quare Matthaeus (27: 9) locum Zachariae Jeremiae nomine laudaverit. Quod si verum est, ex Lucae l. l. hoc simul apparet, Codd. Graecos hoc tempore jam exstitisse, qui, neglecto ordine librorum Hagiographae, qui in Talmude traditur, alium sequebantur. Hoc Lucae loco nimirum Psalmi, in Talmude Ruth, tamquam primus voluminis liber, laudantur.

(38) Conf. not. 34. *Masorethae*, sic dicit E. L. (Masoreth Bas. 1539 ed. a Munst. in praef. tert. p. 40 seq.) *ordinem Hagiographae immutarunt, hunc ordinem tenentes: Chron., Psalterium, Job, Prov., Ruth, Cant., Eccl., Threni, Esth., Dan., Esra: sic in libris Hispanicis. At in libris Germanicis hic ordo observatur: Psalt., Prov., Job, 5 volumina, Dan., Esra, Chron. Porro 5 volumina scribunt eo ordine, quo ea legerunt in Synagoga temporibus suis, nempe sic: Cant., Ruth, Threni, Eccl., Esth.*

Codd. Kenn. Germanici etiam hanc normam tenuerunt, quem E. L. descripsit in his libris. Primum locum tenent 150, 157, et 176. Praeterea 160, 168, 170, 171, 180, 188, 192, 201, 224, 228, 242, 245, 246, 252, 301, 321, 355, 587, 598:

Codd. etiam Ross. 4 (l. l. p. 97), 31 (p. 99), 35 (ibid.), 346, 368, 418: ordinem illum plus minusve accurate secuti sunt. Eumdem interdum observarunt Hispanici, v. c. 166: conf. Kenn. diss. gen. p. 83, 84, et passim.

Codd. Masorethici a consueto Masoretharum more saepius deflexerunt: v. c. Cod. Kenn. 598 (vid. Rossius l. l. I. p. 91), Codd. Ross. 304, 518, 789. conf. etiam Carpz. l. l. p. 582—384. coll. p. 376. γ.

(39) Quaestionem dirimere nequeo, quoniam Kennicottus et Rossius ordinem Prophetarum minorum in libris MSS. exponere neglexerunt. Neque hoc curavit J. D. Michaëlis: in O. B.: quamquam Vol. I—IV. de Codd. nonnullis disseruit. In uno tamen ordinis veteris indicium forte nobis animadvertisse videmur. Inter Codd. Kenn., a Rossio collatos, est 669 (Gothanus), exhibens libros seqq. hoc ordine: Jes., Jerem., Ezech., Hos., Amosi fragmenta (Ross. l. l. p. 94). Nescio tamen, quem locum in hoc libro occupent *fragmenta Joëlis*, quorum mentionem fecit Mich. O. B. IV. p. 251. *Amosus sequitur Oseam et Micham* in Cod. 421 (Ross. l. l. p. 95).

(40) Rationes, quas Veteres secuti sunt in Libris Sacris, Prophetis imprimis disponendis, nobis latent. Cavendum tamen est, ne, cum non improbabile sit, illos etiam ad aetatem attendisse, qua conscripti sint, cavendum, inquam, ne quis, perversas Recentiorum ineptias Veteribus tribuens, illam sententiam infringat. Sunt forte, qui perhibeant, locum Obadiae datum non convenire cum opinione, hunc Eliae aequalem fuisse. Contendunt hoc Auctor de vitis Proph., et receptum est in Codd. A. et F, opera Theod. exhibentibus; quin ipse Hieronymus hac in re lapsus est. Confuderunt enim illi Achabi aequalem (1 Reg. 18: 3. 2 Chr. 17: 7) cum Propheta ejusdem nominis: isque error recentior est, quam ut iis, qui Libros Sacros disposuerunt, tribui possit. Etiam multos offendit locus, quem Jonae liber habet. Hic tamen, si liber, ut multi jam probare conati sunt, recentioris est aetatis, ipsi satis bene convenit. Aliam ejus rei rationem dedit Hieronymus, in cujus Gr. Cod. *Nahumus* Jonam sequebatur, suspicans hos proxime esse junctos, quoniam de Ninive uterque vaticinatus erat (prooëm. in Nah.). Haec vero longioris sunt ambitus, quam ut h. l. rite pertractari possint; quae igitur tetigisse, sufficiat. Accuratam totius quaestionis expositionem aliis lubenter relinquimus, saltem in illud tempus referimus, donec cuncta melius perspecta habeamus.

H. A.

H. A. HAMAKER

LECTORI

S. P. D.

Perlegenti mihi dissertationem de Amoso, subitariae quaedam animadversiones enatae sunt, quas cum auctor, qua est humanitate, imprimis probaret, a me flagitare coepit, ut eas scriptioni suae subjicerem. Cui desiderio honestissimo docti juvenis, et inter discipulorum meorum principes merito suo numerandi, deësse nolumus. Tu igitur, Benevole Lector, hanc qualemcumque annotationem aequi bonique consulas, et si quid reperias reprehensione dignum, illam in summis temporis augustiis et ingenti typothetarum festinatione conscriptam esse memineris.

P. 3. v. 14. Apud Pseudo-Epiphanium legitur ἐν γῇ Ζεβουλών, quae res, ut puto, non satis explicatur ex permutatione nominum *Simeonis* et *Zebulonis*, praesertim cum admodum incertum sit, an Thekoa tribus Simeoniticae urbs fuerit. Hoc melius constat, illam in deserto Judae jacuisse, unde, ni fallor, caussa in promtu est illius lectionis, sine dubio falsissimae ἐν γῇ Ζεβυλών. Nempe primis aerae Christianae seculis Graece et Latine confici solebant nominum pp. cum hominum, tum locorum glossaria, qualia adhuc supersunt Eusebii, Hieronymi, aliorum. Jam si in ejusmodi glossario Thekoa descripta fuerit, ut sita *in terra Sabulorum* i. e. arenarum, ἐν ἐρήμῳ, auctor *de vitis prophetarum*, vel, si is nullam linguae Latinae notitiam habuit, alius, cujus fidem secutus est, facillime illud *Sabulorum* confundere potuit cum Ζαβουλών, imprimis si illud, per compendium *Sabulōm* scriptum fuerit. Potuit etiam glossarii auctor uti voce labentis Latinitatis *Sabulo* (vide Du Cangium in voce) et scribere *in terra Sabulonis*, ut nullum discrimen sit nisi in litera initiali. De Thekoa illud praeterea adjicio, quod, a Relando in Thekoae descriptione neglectum, memorat in Onomastico Eusebius, eam fuisse τὸ πρὶν πόλιν τοῦ Φυγαδευτηρίου, i. e. ex עָרֵי הַמִּקְלָט, sive urbibus

asyli: quod unde fluxerit, ignoro. Nam in urbibus illis vicina Hebron, non item Thekoa memoratur, Jos. XX. v. 7 et 8, nec illius rei vel hoc loco in variantibus vetustisque versionibus, vel usquam alibi ullum vestigium reperio.

P. 8. v. 18. Confirmat haud leviter istam Cl. Palmii conjecturam observatio Dioscoridis l. I. c. 182. arborem crescere *ἐν τοῖς οὐ πολυπύροις τόποις* et *βοηθεῖν ἐν ταῖς σιτοδείαις διὰ τὸ διηνεκὲς τοῦ καρποῦ*. Nam sive in locis vivas frumento carentibus, sive annonae caritate utaris, ad viliores cibos confugiendum est, quos alias vix attingeres.

P. 9. m. Illis, quae ab auctore observata sunt, etiam hoc adjicio; in Lexico nominum propriorum Origeniano, edito ex Cod. Colbertiano in Opp. Hieron. T. II. p. 250. ed. Martian.: Ἀμὼς explicari ἰσχυρὸς, ἢ δρακτής. Posterius male correxit Editor, reponens διώκτης. Nam tametsi δρακτὴς in omnibus Grammaticorum libris frustra quaesivi, commode derivatur a δράσσεσθαι, *capere*, *manu prehendere*, nec minus firmatur ex comparatione Hebraismi. Nempe respondet illud δρακτὴς τῷ אמּיץ, non τῷ עמוס; res autem sic explicanda: אמיץ et חזק fere synomyma sunt et centies copulantur. Jam *κρατεῖν tenere*, quod idem est ac δράσσεσθαι, exprimit saepe Hebr. חזק, quin bis etiam redditum est ex Hebr. אֵמִּיץ et אֵמֵץ, ut mirum non sit, vocem δρακτὴς, *tenens et capiens*, respondere τῷ אמּיץ.

P. 12. v. 8 sqq. Quod in Amosi Capite VII. vs. 14. in Cod. Barb. *αἰπόλος ἤμην αἰγῶν* pro *αἰπόλος ἤμην* legitur, id haud scio an non debeatur librario, qui Homerum legendo triverat. Nihil enim isti in Odyssea illo *αἰπόλος αἰγῶν* solennius. Ad ea, quae in sqq., tum hac pagina, tum 15, de vocabulo נֹקֵד leguntur, haec observo, mihi potius Drusio adstipulandum videri, נֹקֵד de eo, qui notas pecudibus inurit explicanti, quam Bocharto, illam sententiam eo nomine repudianti, quod נָקֹד de pecudibus dicatur, quas non ars, sed natura, maculis insignivit. Nam primum illud ipsum, quod נֹקֵד et נָקֹד unius ejusdemque sunt radicis propagines, dein quod aliunde constet, pecora ejusmodi notis fuisse insignita, vehementer Drusio favent. Quo si accesserit, quod, Arabica lingua demonstret, hanc radicem ejusque derivata de signis quoque artificiosis dici, illius sententiae probabilitas etiam augebitur. Jam نَقْد Arabibus tritum est de *pecunia proba et justi ponderis et notae*, unde etiam ناقد is dicitur *qui pecuniam probam ab adulterina distinguere novit*, hinc universe *qui vera a falsis discernit*, quo sensu occurrit illius plurale نُقّاد in homilia Ibn al Haditsii, edi-

edita ad calcem Grammaticae Erpenianae, anni 1656 p. 252. v. 2. In verbo eandem potestatem jam memoravit Golius. Hinc igitur patescit, quid sit נֹקֵד, nempe *is, qui meliores pecudes distinguit a pejoribus et inusto signo segregat:* quamquam hoc postremum etiam abesse poterit, ut simpliciter vox referatur ad signorum bonae malaeve indolis intelligentiam. Erit igitur is *rei pecuariae peritus*, hinc *pastor* vel *possessor gregum*, imprimis *optimorum.* Nec obstat quod نَقَد sit deforme genus ovium, vel quod proverbialis exstet formula اذل من النقد, *vilior pecude al Nakad.* Nempe hoc nomen ipsis inditum non a forma, sed a lana, quae purissima et optima erat. Hinc etiam apud Syros est ܢܩܐ, *purus*, quasi *nota distinctus a vili et vitioso.*

P. 17. An χαρακόω, quod auctor arbitratur, eam *incisionis instituendae* apud Hellenistas notionem habuerit, nescio. Hoc vero affirmo, minus verosimile esse, ut notius χαράσσειν in χαρακοῦν, quam ut hoc in illud corruptum sit. Nihilominus non satis probabilem esse puto transitum a *cuspide acuenda* ad *incisionem faciendam*, nec etiam etymologicas optimi juvenis rationes sequor. Mihi χάραξ *vallum* et χαράττω, vel χαράσσω origine diversissima sunt. Χαράττω, haec enim vetustior et verior forma est, est Syrorum ܚܪܛ, *incidit, scalpsit,* unde Hebr. חֶרֶט, *stylus*, et Arab. خرط, *dolavit.* Cohaerent, *krassen, gratter* et *to scratch.* Hinc χάραξ, quatenus *palum praeäcutum* notat et *pedamentum*, quod non magis cum altero χάραξ, *vallum, munimentum*, cohaeret, quam Lat. *vallus* cum *vallum*: hoc enim est nostrum *wal*, Anglicum *wall* (murus); illud non differt a *palus*: jam χάραξ quatenus *munimentum* notat et *fossam*, est Aramaeum כְּרַךְ, כַּרְכָּא, ܟܪܟܐ, quod *arcem* notat et compluriam castellorum nomen pp. est. Utraque significatio *muri* et *fossae* descendit a notione *ambeundi, circumducendi,* quae ipsi verbo כרך inest.

P. 34 et 35. Locus Zachariae c. XIV. vs. 5 mihi mirum in modum corruptus et interpolatus esse videtur. E variationibus veterum versionum nihil proficias, e quibus hoc unum notari velim, Graecos pro אצל, quod hucusque pro nomine pp. loci habuere, Ἰασὸδ posuisse, quod ut videbimus, magni momenti est. Ut emendationis ratio melius appareat, locum integrum describam: וְנַסְתֶּם גֵּיא־הָרַי כִּי־יַגִּיעַ גֵּי־הָרִים אֶל־אָצַל וְנַסְתֶּם כַּאֲשֶׁר נַסְתֶּם מִפְּנֵי הָרַעַשׁ בִּימֵי עֻזִּיָּה מֶלֶךְ־יְהוּדָה. Tota labis origo quaerenda in forma הָרַי quam nonnulli, utpote a se non intellectam, emen-

dan-

dandam esse putaverunt. Hi illam pronuntiavere הָרֵי et statum constructum a loco alienum esse videntes, rescripserunt הָרִים. Jam haec lectio ob facilitatem multis placuit, et hinc in varios Codices recepta et cum variante nullius momenti גֵּי conjuncta est. Hinc opportunitas data sciolo, qui hanc scilicet veram Prophetae manum existimabat, hanc notam margini adscribendi, quae deinceps in textum migravit: כִּי־יַגִּיעַ גֵּי־הָרִים אֶל־אָצַל, *certe* (lectio) גֵּי־הָרִים *propius accedit ad autographum.* Vox אצל mihi est ipsum Arab. أَصْل, *radix*, *fundamentum*, *autographon* (*origineel*). Rem ita explicandam esse ostendit Graecum Ἰασὸδ i. e. יְסוֹד, i. e. *fundamentum*, quae glossa esse videtur, explicandae voci אצל inserviens. Huic glossae originem quoque debet secundum וְנַסְתֶּם, quod, illis verbis insertis, necessario repetitum est ex initio versus, cum illud jam nimis remotum esset a כַּאֲשֶׁר. Jam quae restant וְנַסְתֶּם גֵּיא־הָרַי כַּאֲשֶׁר וגו' sic reddenda sunt: *tum fugietis ad vallem montium* (i. e. *ad eam vallem, quam fisso monte Olivarum, Jehova formaturus erat* ex sententia versus 4) *quemadmodum fugiebatis a terrae motu* diebus Uzziae, regis Judae. Josephi locus, quem laudat auctor in eadem disputatione p. 35 non minus foede corruptus est. Quid enim significabunt ista πρὸς τῇ καλουμένῃ ἐββωγῇ: haec enim lectio in duobus Codd. reperta, vero propior est, quam ἐρωγῇ. Equidem lego πρὸς τῇ καλουμένῃ κρήνῃ Ῥωγὴλ, in literis ερ vestigia agnoscens compendii κρ, vocis κρήνῃ. Rem autem sic explico. Verticem montis Oliveti (τοῦ πρὸς δύσιν nempe ἀφορῶντος) avulsum et per quatuor stadia provolutum versus montem Orientalem, i. e. qui Orientem spectat, ibi substitisse, et transitum per vallem ipsosque hortos regios opplevisse, quibus in hortis cum, ipso Josepho teste L. VII. C. XIV. p. 406 collato cum L. I. Reg. C. I. vs. 9 fons Rogel sita fuerit, apparet, quam vera emendatio sit. Vel sic tamen locus impeditissimus est: nam si nostram interpretandi rationem sequaris, mirum videtur τὸ ἀνατολικὸν ὄρος dici pro τὸ πρὸς τὴν ἀνατολὴν ἀφορῶν, si autem hic sit mons ad Orientem situs, alterutrum verum erit, ut mons ad occidentem situs, i. e. mons Sion, vel Moria, disruptus et avulsus sit, qui necessario ruina sua partem Hierosolymorum secum traxisset, vel ut mons Olivarum duo cacumina habuerit, occidentale et orientale, quorum illud elatius in hoc inferius situm delapsum sit. At hoc si admiseris, fons Rogel, et horti regii in monte Olivarum siti fuerunt, cum eos in valle fuisse constet: et quod alteram illam explicationem spectat, si terrae motus partem Hierosolymorum evertisset, rem silentio non praeteriisset Josephus. Hanc tamen rationem probavit Cyrillus Alexandr. in

comm.

comm. ad Zachariam. Locus exstat in ipsa dissert. p. 56, ubi haec, quae forte ex Josepho didicerat, diserte ad montem Sionem refert.

P. 40 et 41 init. Origo traditionis, quae initium regni Uzziae et prophetici muneris, a Jesaia suscepti, unum idemque fecit, quaerenda videtur in falsa lectione loci celeberrimi Jes. c. VI. vs. 1. Eo capite, quod reliquis scriptis Jesaianis praefigi debuisset, inauguratio solennis describitur prophetae, illudque visum ipsi oblatum fuisse dicitur בשנת מות המלך עזיה, *anno mortis regis Uzziae*, quo loco si מות exciderit, et pro הַמֶּלֶךְ pronuntiatum sit הֻמְלַךְ, in hophal, verti potuit, *Anno, quo Uzzias rex factus est.* Si probabilem caussam quaeras, cur מות, quod nunc omnes Codd. et Verss. habent, omissum sit a librariis nonnullis, illam reperies partim in compendio scripturae, partim in literarum forma. Nempe potuit etiam scribi מת, quod unus Codex offert, et שנת solenni compendio in שֿת abire. In veteri autem scriptura, qualis in Hasmonaeorum nummis cernitur, exiguum discrimen est literarum Mem et Schin, in Phoenicia autem scriptura puriori, quam v. g. Inscriptiones Citienses offerunt, altera subinde in alterius formam transit. Quod cuivis apparebit Inscriptionem XII, cum XXI comparanti, quarum illa, ut in *Miscellaneis Phoeniciis*, propediem edendis p. 9 et 100, demonstravimus לְעֶבֶד אֵשְׁמֻן בֶּן עֶבֶד מִן הָרַב, haec לְאֵשְׁמֻן חֵן legenda est, formis literarum ita permixtis, ut, quae in XII Schin et Mem sint vocis אשמן, eaedem in XXI, eademque voce, prorsus potestatem mutent. Sic igitur מת et שת plane inter se confusis, posterius ut superfluum a librariis deletum est.

Ann. p. 6. v. 13. Locum Bahaoddini cum ipso tractus Hierosolymitani ratione in concordiam redigere vix possum. Nempe Thekoa majori quam parasangae intervallo Hierosolymis distabat. Nam tametsi ingens est opinionum de parasangae longitudine diversitas, quas collegit Ouseleyus *Travels* Praef. p. X. et T. I, p. 25 ad duodecim tamen milliaria Romana, quae inter Hierosolymas et Thekoam ponit Eusebius, produci non poterit. Jam parum verosimile est, Francis in mentem venire potuisse, ut tanto intervallo quotidie exercitui aquationem facerent. Wilkenius *Gesch. der Kreuzzüge*, T. IV. p. 528. n. 65 locum Bahaoddini laudans, de Siloë cogitasse videtur, forte quia hujus fontis hac in re mentionem fecit Gaufr. Vinisauf VI. 11: p. 410. Quod ad lacum *Asphar* attinet, cujus in eadem nota mentio est, vix dubito quin a pulchritudine situs, vel aquae nomen traxerit. Forma est Arabibus frequens, Hebraeis

haud

haud ignota, incipiens ab Aleph intensivo אַפְקַר. Ad hujus normam אַשְׁפַּר est *pulcerrimus*. Verbum שְׁפַר apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros et Samaritanos habet *elegantiae*, *pulcritudinis*, et *ornatus* significationem. Alia nomina locorum, a situs pulcritudine dictorum, memoravimus in *Miscellaneis Phoenicіis* p. 268 et 277, ubi illustravimus nomen vici Cilicii *Sepyra*, i. e. שְׁפִירָה et cum שְׁפִיר urbis nomine contulimus. His adde nomina locorum שָׁפָר, יָפוֹ et puteum Arabicum الحُسْنِيّ; sic enim scribendum existimo, ut feminina forma, derivata ab احسن, pendeat a subintellecto substantivo بِئْر, et *puteus pulcer* significetur.

Ann. p. 7. v. 18. Ex locis, quos inter se composuit auctor, quibus adde I Paral. XXVII. v. 18. II Paral. I. v. 15. et IX. v. 27. hoc effici posse videtur, vocem שִׁקְמִים perpetuo redditam fuisse ab Alexandrinis, συκάμινος, vel συκάμινον, numquam συκόμορος, quod proprium fuit Aquilae et τοῖς λοιποῖς; porro Syrum, versionis Peschito Veteris Testamenti auctorem, vocem vel reddidisse ܫܩܡܐ, vel intactam reliquisse; (unde fortasse explicetur singularis vertendi ratio cum Syri, tum Arabis, illius vestigia legentis, in duobus posterioribus Chronicorum locis: nam primus in utraque versione deficit; verba כַּשִּׁקְמִים אֲשֶׁר בַּשְּׁפֵלָה, reddentium *instar arenae*, *quae est in litore maris*); in Novo Testamento Syrum συκάμινον reddidisse ܬܘܬܐ, sed συκομωραίαν pro alia arbore habuisse, et ad verbum interpretari studuisse ܬܐܢܐ ܦܟܝܗܬܐ *ficum fatuam*, respicientem ad μῶρος, aliorum multorum exemplo: denique Arabem, Psalmorum et Prophetarum interpretem, Graecum συκάμινος promiscue per توت et تين expressisse; qui vero libros Regum et Novum Testamentum reddiderunt, pro eodem et συκομωραίαν posuisse جُمَّيز et جُمَّيزة. Quod utrum isti recte fecerint, ex nullo auctore melius, quam ex homine, historiae naturalis perito, Ibn Beitaro, dijudicari poterit, cum Dioscoride, cujus versionem citat, comparato. Graecus medicus libro primo tria capita habet ad nostram rem spectantia. Illud περὶ μορέας (c. 181.) respondet Beitariano, quod توت inscribitur, ut Graeca illius pericopes verba docent, Arabice reddita. Idem valet de cap. 184, qui est περὶ συκῶν, quod Ibn Beitarus ad تين retulit. Denique tertium est c. 182 περὶ συκομόρου, sic incipiens, συκόμορον, ἔνιοι δὲ καὶ τοῦτο συκάμινον λέγουσι, καλεῖται δὲ καὶ ὁ ἀπ' αὐτῆς καρπὸς συκάμορον (l. συκόμωρον) διὰ τὸ ἄτονον τῆς γεύσεως. δένδρον δὲ ἐστι μέγα, ὅμοιον τῇ συκῇ, πολύκομον σφόδρα, τοῖς φύλλοις ἐοικὸς μορέᾳ. φέρει δὲ καρπὸν τρὶς καὶ τετράκις τοῦ ἔτους. κ. τ. λ. Haec ipsa legun-

guntur apud Ibn Beitarum voce جميز, quod caput sic incipit ديسقوريدس في المقالة الاولي الجميز يسمي باليونانية سنقوموري (سيقوموري .l) معناه التين الاحمق وانما سمي بهذا الاسم لانه ضعيف الطعم وهي شجرة شبيهة بشجرة التين لها لبن كثير جدًّا ورقها شبيه بورق التوت ويثمر ثلث مرات او اربع في السنة الخ, *Dioscorides libro primo. Al Djommaiz Graece appellatur sycomorus i. e. ficus fatua, et hoc nomine appellatur propter gustum insipidum. Haec arbor est similis fico, habetque plurimum succi vel lactis. Folia illius similia foliis mori et ter vel quater quotannis fructus fert.* Vides haec, exceptis prioribus, quae nonnihil ad propositum suum accommodavit Arabs, e Graeca esse reddita, et pro *πολύκομον* ex Arabicis ولها لبن كثير جدًّا rescribendum esse *πολύοπον*, quae vox de plantis arboribusque solennis est. Jam ex his dubium non est, quin soli illi Arabes probandi sint, qui שקמים vel *συκάμινος* et *συκομωραία* reddiderunt جميز vel جميزة, quae formae cur diminutivae sint, non satis intelligo. In Kamuso جميز et جميزي, definitur التين الذكر وهو حلو, *ficus mascula, saporis dulcis.*

Ann. p. 14. n. 26. Equidem locum auctoris *de Vitis Prophet.*, hic in notis tentatum, foedissime corruptum esse arbitror a librariis. E verbis illis *ἐνέδρᾳ αὐτὸν ἐλοιδόρει* nihil nmquam bona frugis elicies, quippe glossam continent, alieno loco ingestam, diversamque lectionem verborum sequentium *ὅτι ἤλεγχεν αὐτὸν περὶ τῆς ἐνέδρας τῶν δύο δαμαλίων τῶν χρυσῶν.* In aliis quippe codicibus haec sic concepta fuisse verosimile est; *ὅτι περὶ τῇ ἐνέδρᾳ αὐτὸν ἐλοιδόρει.* Sed haec ipsa obscura sunt, sive sic legas, sive vulgatam serves. Voce *ἐνέδρα* significari videntur insidiae verae religioni et Jehovae sacris ejusque cultoribus per vitulos aureos factae. Comparetur I Maccab. c. I. v. 35 sq. *καὶ ἐγένοντο εἰς μεγάλην παγίδα, καὶ ἐγένετο εἰς ἔνεδρον,* (vel *ἐγένοντο εἰς ἐνέδραν*, ut alii) *τῷ ἁγιάσματι.* Hebraica erant, ut conjicio: והיו לפח ולמוקש למקדש. Cf. Jos. XXIII. v. 13. ubi haec verba de Canaänitis reperies, Israëlitas a veri Dei cultu ad idolorum sacra abducturis. Vox *μεγαλὴν* Hebraice non reddidi, cum mihi in ejusmodi phrasi potius ab interpreti orta esse, quam Hebraismo respondere videretur. Eadem ratione addita est a Graecis Prov. c. XXIX. v. 6. *μεγάλη παγὶς* pro מוקש ponentibus.

Ann. p. 14. n. 26. Quae hic de Bethabara ejusque vocis varia scriptura memorat au-

auctor, diligentius expendi merentur, imprimis nobilissimi loci Johannei caussa, in quo haerent interpretes c. 1 vs. 28. Magnus codicum versionumque consensus pugnat pro lectione *ἐν Βηθανίᾳ*, pro qua in nonnullis libris exstat *ἐν Βηθαβάρᾳ*, quod Origenes primum, deinceps Chrysostomus commendavere, merito existimantes, ubi de loco, quem Johannes baptismate celebravit, sermo est, ibi Bethaniam memorari non posse, Hierosolymis vicinam. Recentiores tamen multi, in his Kuinoellius, Hugius, Paullus lectionem *ἐν Βηθανίᾳ* variis rationibus tueri conantur, vel interpunctionem mutantes, (ut olim fecit Paulus, qui etsi bene propter ea reprehensus est a Kuinoelio, eandem sententiam nuperrime repetiit in diario inscripto *allgem. Kirchenzeit*, (1828. April, p. 274 sq.) vel duas Bethanias fuisse conjicientes, alteram apud Hierosolymas, alteram apud Jordanem sitam, ut Kuinoellius et Hugius, quorum hic in *Einleit. in die Schriften des N. T.* T. II. p. 217. edit. III. conjecturam proposuit de nomine Bethaniae Jordanensis, nempe illud Hebraïce scribendum videri בֵּית אֲנִיָּה *domum navis*, ut synonymum sit *τῷ* בֵּית עֲבָרָה. Mihi vero hoc Hebraicum nomen in portum quadrare videtur posse, non item in locum, ubi trajectus est in ulteriorem ripam: et hunc locum comparanti cum c. X. vs. 40. ubi dicitur Jesus abiisse *πέραν τοῦ Ἰορδάνου, εἰς τὸν τόπον, ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων*, persuasum est, Euangelistam non magis hoc, quam illo capite, locum nomine designasse, sed utramque lectionem *ἐν Βηθαβάρᾳ* et *ἐν Βηθανίᾳ* glossae deberi, in cujus originem jam diligentius inquirendum est. Hic vero magno nobis emolumento et subsidio est locus, a doctissimo auctore laudatus ex Epiphanio *de vitis prophetarum*, ubi hic refert, Nahumum oriundum fuisse ex *Ἐλκεσεῖ πέραν τοῦ Ἰορδάνου εἰς Βηγαβὰρ ἐκ φυλῆς Συμεών*, quibus hoc addo, in fine illius narrationis subjici *καὶ ἐτάφη ἐν τῇ γῇ αὐτοῦ ἐν Βηγαβάρ*. Ex quibus primum hoc constat, quod non levis momenti est, *Βηγαβὰρ* totius tractus nomen fuisse, ad quem pertinebat illa patria Nahumi; non vici, vel certi loci designationem, ut hactenus creditum. Hoc igitur fluxit ex בֵּית עֵבֶר, vel Chaldaico בֵּית עֲבַר aut בֵּית עֲבָרָא unde *Βηθαβαρὰ* i. e. *ἡ Περαία*, *Peraea*, uti Graece verti solet. Commentitia igitur est a viris doctis probata opinio de בֵּית עֲבָרָה i. e. *domus transitus*; commentitia illius nominis, nusquam reperti, comparatio cum בֵּית בָּרָה Jud. VII. v. 24. Jam ad locum Johannes I. vs. 28, et verba *πέραν τοῦ Ἰορδάνου* adscripserat aliquis vocem *ἐν Βηγαβὰρ*, significans hoc nomen esse pp. *τῶν πέραν τοῦ Ἰορδάνου*. Hoc vero in textum translatum ab aliis bene intellectum est, ab aliis perperam explicatum. Illi hoc composuere

cum

cum synonymo, forte notiore, Βηθαβαρὰ; hi pro sua inscitia illud comparavere cum alio Βηγαβρὶς, alias βαιτογαβρὰ. Vide Relandum in *Palaestina* p. 461 et 627, alia quoque illius nomina memorantem. Arabibus illud notissimum sub nomine بيت جبرين, quibus testibus jacet inter Hierosolymas et Gazam. Willermo Tyrio auctore L. XIV. c. 22. sita erat in locis campestribus בַּשְּׁפֵלָה duodecim ab Ascalone milliariis vel decem, ut Jacob de Vitriaco, Hist. Hieros. c. 36. perhibet, qui eam igitur recte in tribu Simeonis collocavit, etsi male eandem cum Berseba isti confundunt, uti postea in Ind. Geogr. fecit A. Schultensius. Hinc vero elucescit, quid sibi velint ista Epiphanii vel Pseudo-Epiphanii Βηγαβὰρ ἐκ φυλῆς Συμεὼν. Huic scilicet etiam alterum illud Βηγαβρὶς, tribus Simeonis, obversabatur. At, quid haec, inquies ad Johannem, neque enim in illius variantibus exstat ἐν Βηγαβρὶς vel Βηγαβὰρ. Sed haec ipsa lectio, nunc deperdita, originem dedisse videtur lectioni Βηθανίᾳ, quae ob hujus loci in Euangelio Johanneo celebritatem reliquas, unde fluxerat, fere obliteravit. Nempe fuit alius vicus Βετάνη, vel Βηθανὶν in vicinia Hebronis, ex Judithae libro et Eusebii Onomastico notus, et Hebraice, ut Relando videtur, בית עין vocandus, nec ab Ain (Jos. XV. v. 32.) urbe Simeonitica diversus. Haec igitur Βηθανὶν ex mea conjectura non distinguenda est a βηθγαβρὶς, quam opinionem sane nemo mirabitur, qui noverit centena loca fuisse, qui duplex nomen haberent, et hos vicos in uno eodemque tractu jacuisse. Nempe secundum Eusebium in *Onomast.* Bethanin erat in quarto lapide a Chebrone; Beth-Djabrin vel Gabrin quinque parasangas ab eadem aberat secundum Benjaminem Tudelensem, quod sic videtur posse conciliari, ut hic, quod saepenumero factum, parasangas cum milliariis confuderit. Hoc igitur Βηθανὶν, si ut synonymum adscriptum fuerit glossae, jam in textum receptae, Βηγαβὰρ vel Βηγαβρὶς, paene necessario migravit deinceps in notius Βηθανίᾳ. Quodsi tamen quis cum doctissimo auctore malit lectionem Βηθανίᾳ ortam esse ex Βηθαρὰ, quod, ex Βηθαβαρὰ contractum, exstat inter variantes loci Johannei, reperiet aliquid, quo conjecturam suam tueatur in eo ipso Eusebii loco, quem citavimus. Hic enim pariter N et R confusis, ibi posuit Ἀρὶ pro Ἀνὶ, vel Ἀΐν.

Ann. p. 19 sqq. Complures animadversiones ad Chronicorum locum hic ab auctore illustratum pertinentes continua disputatione comprehendimus. Ratio igitur postulat, ut ab ipsis Hebraicis verbis initium faciamus. Haec etiam nobis misere corrupta videntur, nec dubitamus assentiri doctissimo juveni, extremam pericopen inde a וּבְנֵי totam abjiciente; quin integrioris lectionis vestigium servatum esse putamus

 in

in quatuor Codd. Graecis Holmes., illam ignorantibus. Caussam vero illius glossae hanc fuisse censeo. Constat ex Codd. Hebraeis, constat ex vers. Arab. et Syra fuisse nonnullos, qui in hac recensione urbium, ab Uzzia dirutarum, *Jabnen* omitterent, forte quia hanc vocem *futurum* esse arbitrabantur, a contextu alienum. Idem quoque urbi *Aschdod* in aliis libris accidisse Josephus ostendit, solas memorans *Gatham* et *Jabnas*, ut mirum non sit, si fuerint libri, e quibus, utraque omissione conjuncta, tota illa pericope ואת־חומת יבנה ואת־חומת אשדוד excidisset. Ejusmodi Codicem doctor Judaicus cum melioribus conferens, et verba omissa reperiens, haec exemplaris sui margini alleverat, adjecta nota ויבנה באשדוד ערים בפלשתים, *Nam Jabne et Aschdod sunt urbes Philistaeae*, quibus verbis scilicet integritatem illius lectionis tueri volebat. Insequentes librarii hoc emendatum exemplar secuti, haec omnia ad textum pertinere existimantes, eo loco inseruerunt, quo obelus criticus margini adscriptus monstrabat. Sed יבנה habentes pro verbo, locum emendandum censuerunt, quem sic intelligere non poterant, atque adeo transposuerunt verba באשדוד ערים, et waw necessario posuere ante בפלשתים. Restat ut nonnulla de versionibus moneamus, et primum quidem de Graeca; cujus unus Cod. habet τὰ χείλη Γὲθ, pro τὰ τείχη Γὲθ: quod si ex Hebraea variante ortum sit, forte respicias Codicem, in quo חפת legi videbatur pro חמת. Illud nunc quidem in plur. non exstat in Hebraismo, qui solum masc. singularem servat חוף, *litus*, synonymum τοῦ שפה i. e. χεῖλος, sed Arabes habent fem. حافة, quod vivente lingua in usu esse et Alexandrinis, ut alia Arabica, notum esse potuit. Ejusdem loci Graecam versionem laudans Cyrillus, qui p. 20 annot. allegatur, pro κατέσπασε τὰ τείχη posuit contrarium κατίσχυσε, cujus vitii triplex caussa excogitari potest. Nam vel de industria hoc fecit, ut vox responderet proximo ᾠκοδόμησε, vel in describendo aberravit ad proximi versus initium, a καὶ κατίσχυσε incipientis, vel κατέσχισε rescribendum, quod hac in re bene Graecum est, ut hoc vocabulum alii interpreti, non Alexandrino debeatur. — Ad Syrum et Arabem quod attinet, hic *Gazam* pro *Jabne* ponentes, illos procul dubio hanc variantem in textu Hebraeo reperisse, ostendit paraphrasta Chaldaicus, editus a Wilkensio, qui eandem lectionem sequitur, non ex alterutrius versionis comparatione, sed ex solo textu Hebraeo ortum. Res nata ex nonnullorum audacia, mirantium hic nobilissimae urbis Gazae nullam mentionem factam esse, Jabnem autem, sibi ignotam, memorari. Ex testibus, qui evocantur, solus su-

superest Bar-Hebraeus p. 24, quem interrogemus. In hujus verbis mihi pro ܘܓܙܣ ܘܝܡܢܝܐ rescribendum videtur ܘܝܡܢܝܐ ܘܐܙܘܛܘܣ. Locus est memorabilis, cum manifesto constet, illum ex Peschito derivatum non esse, quae diversa continet, *Gazam* memorans pro *Jamnia.* Fluxerunt igitur ista, ut Graeca quoque nominum scriptio ostendit, vel ex ipsa versione Graeca, a Bar-Hebraeo lecta, vel, quod longe verosimilius, ex Syra aliqua interpretatione Alexandrinorum, quam hic Chronicus praetulit, ut pleniorem. Cum autem versionem Syro-Hexaplarem, a Paulo, Telae episcopo, factam, ipse Bar-Hebraeus in suo *horreo mysteriorum* laudet (vid. Eichhorn, *Einleit. in das A. T.* T. II. p. 214. Ed. IV), verosimile est, eandem etiam h. l. ipsi ante oculos fuisse. Neque hoc omittendum, ex voce ܝܡܢܝܐ, vel, si mavis ܝܡܢܐ colligi posse, in Codice, quem Syrus interpres secutus sit, adfuisse Ἰάμνης, quod nunc in uno est Codice, pro vulgato Ἰαβνὴρ, in variis MSS. varie corrupto.

Ann. p. 29. m. Persuasum mihi est, nomine יָוָן et בְּנֵי יְוָנִים nusquam designari Graecos, nisi apud scriptorem recentioris aetatis, Danielem C. VIII. v. 21. Reliquis in locis plerisque *Javan* conjungitur cum *Tubal* et *Mesech* (cf. Genes. C. X. v. 2. Jes. LXVI. vs. 19. Ezech. XXVII. vs. 13) i. e. cum Tibarenis et Moschis, in Ponto, Colchide et Iberia degentibus. Nam, ut hoc obiter observem, Tubal esse populum Tibarenorum, praeter nominum convenientiam, confirmat vocis illius significatio, quippe تويل Persis est *aes* (vide praeter Gesen. in Lexx. *Miscellanea* nostra *Phoenicia* p. 199). Est autem, ut omnes norunt, regio illa Tibarenorum et Moschorum aeris et ferri feracissima, unde etiam vasa Tyriis aenea afferunt apud Ezechielem. Quod vero hic majoris momenti est, etiam servorum mangones fuisse tres istos populos, docet Ezechiël, idemque de solis Javanitis affirmat Joëlus C. IV. vs. 6, ubi Phoenices Judaica mancipia in longinquas terras deportanda Javanitis tradidisse feruntur. Quo loco si propheta de Javanitis Yemanensibus, apud solum Ezechiëlem C. XXVII. vs. 9. occurrentibus, cogitasset, procul dubio illud epitheto, sive אוזל, ut l. l. Ezechiëlis, sive alio indicasset, cum nomen sic nude positum nemo facile de Arabibus istis accepturus esset. Quod autem doctissimus auctor existimat, hic de mercatoribus, mancipia venum offerentibus, sermonem esse non posse, cum ipsi servos Hebraeos a Tyriis et Sidoniis acceperint, in eo ipsi assentiri non possum. Quidni enim servos servis, mares feminis, adultiores pueris puellisve te-

 ne-

nerioris aetatis permutare poterant, imprimis si teneas, illos mercatores Tyro digressos non statim in patriam rediisse, sed, ut verosimile est, alterius perrexisse in Aegyptum et Arabiam. Quippe Tyrios suas merces non ad Javanitas devexisse, sed istos Tyrum venisse, Ezechiëlis locus docet, ubi appellantur רֹכְלִים *mercatores circumforanei.* At Graeci certe isti homines non fuerunt, cujus gentis mancipia, uti bene observat in *Spicilegio Geogr. Hebr. exterae*, T. I. p. 42 sq. adversus Bochartum Michaëlis, ista tempestate in Oriente adhuc incognita erant. Ipsa vero conjunctio Javanitarum cum Tubal et Mesech ostendit, illos populum fuisse Ponticum, Armeniacum vel Ibericum. Quam sententiam ex ipsa locorum, quos excitavimus consideratione natam, paene certam et indubitatam sequentia faciunt ex Lexico Geographico MS. depromta يونان موضع منه الي برذعة سبعة فراسخ والي بيلقان مثلها, *Jounan, locus, a quo Berdaä septem, et Bailakan totidem parasangas distat.* Berdaä autem urbs est in Adherbeidjanis et Arranis finibus tribus parasangis a flumine Kour, sive Cyro, quod in mare Caspium se effundit. Bailakan autem jacet prope Derbend, sive pylas Caspias. Hic igitur Javanitarum veteres sedes quaerimus, quo situ nihil excogitari potest ad nostram rem opportunius. Nomen etiam accurate respondet. Nam qua analogia gentem Graecam Daniël יָוָן appellavit, Arabes يونان dixere, eadem hanc يونان quoque geographorum Arabum veteres Hebraei יון vocare potuerunt. Ex istis igitur regionibus profectae catervae mercatorum Javanitarum, servos utriusque sexus, (quos ex tractibus Caucasiis omni aevo in universum Orientem deportatos fuisse constat) item aes et vina Persica, quorum jam olim ingens fama fuit, Tyrum devexisse videntur: quo respicit dictum Joëli, l. l. vs. 4 *permutant puerum cum meretrice* (i. e. *cum pulcra puella Caucasia, quam pellicis loco habeant*) *et puellam* (יַלְדָּה, *infantem* ut videtur) *vendunt vino, quod bibant.* Quod posterius lucem accipit ex loco Homerico Il. Lib. VII. vs. 467, 472 sq.

νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν, οἶνον ἄγουσαι.

ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ,
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

Sed

Sed haec hactenus. Illud adhuc monendum censeo, nostram disputationem non eo spectare, ut Javanitas Graeciae et Javanitas Caucasi diversos populos esse statuamus. Sic potius arbitramur in Hebraeorum scriptorum locis, cum Geographo Arabico collatis, nobilissimum testimonium superesse de gentis Graecae origine et fatis, partim antiquissimo aevo ex regionibus Mediae et Iberiae in Europam profectae, partim adhuc longo post intervallo, veteres patriasque sedes obtinentis.

ERRATA ET OMISSA.

Pag.	7.	lin. 6.	instrumenda	repone	instrumenta
—	9.	— 27.	collata	— —	collato.
—	10.	— 8.	*βλαδυγλωσσὸς*	— —	*βραδυγλωσσὸς*
—	16.	— 9.	Abdollalifus	— —	Abd'ollatifus
—	20.	— 5.	quos	— —	(quos
—	41.	— 15.	*destititus*	— —	*destitutus*
Ann.	— 14.	— 21.	(in Chron. p. 21)	— —	(in Chron. p. 23)
—	— 15.	— 26.	vaticina	— —	vaticinia
—	— 16.	— 18.	*et Urias.*		Clemens Alex. Strom. I. p. 328. d. (ed. Sylb.) etiam memorat *οὐρίαν, τὸν υἱὸν σαμαίου*, qui vixisse fertur regno Judae ad finem vergente.
—	— 16.	— 24.	vocabulo	repone	vocabuli
—	— 16.	— 32.	*ἐμφραγχθήσεται*	— —	*ἐμφραχθήσεται*
—	— 19.	— 20.	2 Sam.	— —	1 Sam.
—	— 21.	— 13.	*ad* deleatur		
—	— 22.	— 11.	ܥ	— —	ܩ
—	— 32.	— 31.	in- deleatur		

T H E S E S.

I.

Locus 2 Reg. 14: 28 bene intelligi nequit, nisi vocabulum ליהודה e textu ejiciatur. Locus est hicce: *et reliquae res gestae Jerobeami et omnia, quae fecit,* וגבורתו אשר נלחם ואשר השיב את דמשק ואת חמת ליהודה בישראל, *nonne haec conscripta sunt* cet. Vitium Codd. Hebr., a Kenn. et Ross. collatis, est antiquius. Etiam illud vocabulum exstat in Versionibus Chald. et Vulg. Utrum Alexandrini Interpretes hoc quoque in suo Hebr. Cod. legerint, non constat. In aliis Codd. redditur illud τῷ (ut in Vat.), in aliis τοῦ Ἰούδα (ut in Holm. 19, 56, 82, 93, 119, 246). Syrus et Arabs hoc non legerunt. Glossae origo repetenda esse videtur ex depravata vocis חמת scriptione; quae, literis transpositis, olim mutata est in חתם, cujus loco ab aliis restitutum est עיטם, unde fluxit lectio τὴν αἰθὰμ, in Codd. Holm. 82 et 93 servata. Deinde חתם iterum abiit in התם, cujus indicium superest in Arm. 1. et Arm. ed. (ut in ed. Holm. est notatum), in quibus post חמת insertum est ἐκεῖθεν, additum a librario, Chald. et Talm. התם, idem quod Hebr. שם (*ibi*) vertente. Itaque verosimile est, glossam ליהודה olim margini adscriptam fuisse a librario, qui, cum עיטם, nomen urbis regni Judaici, legisset, et hoc vocabulum jam antea in aliis Codd. misere corruptum novisset, hac nota adscripta, cohibere voluerit, quominus textus pejore etiam depravatione in posterum turbaretur.

I I.

Editiones Aldina et Complutensis non omni destitutae sunt auctoritate, quando a lectione LXX Interpretum, quae vulgo est recepta, discedunt: quin tum etiam, quum lectiones sibi privas exhibent, si modo prudenter consuluntur, illae cum Graecis hujus Versionis Codd. jungendae sunt.

I I I.

Psalmi 36: 2 pro בקרב לבי legendum est בקרב לבו

I V.

Versio, vel si mavis, Paraphrasis Chaldaica librorum Josuae, Judicum, Samuelis, Regum, Jesajae, Jeremiae, Ezechielis et Prophetarum minorum, quae in Bibliis Polyglottis exstat, non, ut Eichhornius, Jahnius aliique contenderunt, a *variis Interpretibus seculo secundo vel tertio post C. N.* est conscripta, sed unum eundemque habet auctorem, *Jonathanem, filium Uziëlis*, qui, ut fertur, una cum Gamaliële, Pauli Apostoli Doctore, aliisque cum Viris celebribus, *Hillëlis fuit discipulus.*

V.

Quoniam versio Chaldaica eodem fere tempore, quo J. C. in terra degit, conscripta est, et rationem exposuit, quam Judaei illa aetate in Cod. Hebr. explicando sequebantur, aliaque, quae ad religionis, rerumque, cum publicarum, tum privatarum conditionem pertinent, tradidit, in N. T. rite tractando negligi non potest.

V I.

Multa loca, quae Scriptores N. T. ad J. C. referunt, ab hoc Chaldaeo Interprete de Messia explicantur: in his, v. c. Matth. 12: 17—21. coll. Chaldaei interpretatione ad Jes. 42: 1—4; Rom. 15: 21 coll. eod. ad Jes. 52: 13—15; Matth. 2: 6 (Joh.

(Joh. 7: 41, 42) coll. Mich. 5: 1; Hebr. 1: 8, 9 coll. Ps. 45: 7, 8 et Chald. ad vs. 5; in quibus talis animadvertitur convenientia, ut nullum dubium supersit, quin illi in horum locorum interpretatione normam secuti sint, quae ipsorum aetate ab omnibus, a plerisque saltem, recepta fuisse videtur.

VII.

Falsa est eorum sententia, qui statuunt, Judaeos doctrinam de Angelis post exsilium Babylonicum demum ex Chaldaeorum doctrina repetiisse.

VIII.

Locus 2 Tim. 2: 4: *οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ*, sic vertendus et explicandus esse videtur: *nemo*, (strenui) *militis officio fungens, se immiscet iis negotiis, quae ad victum*, ad exercitum alendum, *pertinent* (lixis et calonibus, in extrema acie versantibus se non adjungit, sed in prima acie pugnat) *ut Ducis gratiam sibi conciliet.*

IX.

Aetate J. C. opinio, morbos hominibus ob peccata, quae commisissent, infligi, longe lateque pervulgata erat. Ipsi Apostoli hanc opinionem amplexi sunt, conf. Joan. 9: 2. Huc etiam alia loca referenda sunt, v. c. ex epistolis Apostolorum, 1 Tim. 5: 22 et Jac. 5: 14 — 16.

X.

Duplex lectio, a Griesbachio notata ad locum Luc. 21: 25, quarum altera est: *ἐν ἀπορίᾳ ἠχούσης θαλάσσης*, altera *ε. α. ἤχους θαλ.*, utraque est adulterina. Vera fuisse videtur *ἐν ἀπορίᾳ ἤχους ὡς θαλάσσης*; id est (*et in terra erit coarctatio gentium*; gentes, quae apud Matth. 24: 30 vocantur *πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς*, ad summas redigentur angustias) *in desperatione, conturbatione, strepitus*. Hebr. ‏שָׁאוֹן‎, id est: gentibus illis, undique inclusis, nulla amplius salutis recuperandae via supererit, eaeque in gravissima anxietate versabuntur propter bellum, com-

me-

motum ab hostium turba, murmur maris murmuris instar excitante. (Haec gentium perturbatio in seqq. describitur). Hoc loco nimirum delineatur vindicta, quae sumenda est de iis, qui Hierosolyma capta devastaverant, eorumque incolas longe lateque abduxerant (conf. Joël 4).

Ex hac lectione facili negotio oriri potuit lectio ἠχούσης, quae, in plerisque Codd. reperta, vulgo recepta est. In altera ὡς desideratur, quod antiqnitus omissum est a librario, propter literarum Σ vicinitatem, ex altera ad alteram oculorum errore transeunte. Vocabulum omissum, deinde margini adscriptum, et in multis Codd. ante ἤχους insertum est. Tali Codice usus est Marcion, qui, Tertulliano teste, ut monet Griesb., legit *velut a sonitu*. Hinc etiam in Brix. Cod. *ut sonitus*. Vera lectio servata est in Versione Armenica, ejusque vestigium superest in Cod. For., in quo *sonitus et* sine dubio depravatum est ex *sonitus ut*.

X I.

Omnes fere aegroti, paucis tantum exceptis, quos J. C. sanavit, in Galilaea et in tractu, ex regione hujus terrae vel trans Jordanem, vel maxime trans mare Tiberiadis sito, commorati sunt. Causis, quare maximus eorum in iis terris numerus tunc temporis fuerit, haec causa saltem annumeranda est. Illic permulti, iique optimi fontes, tam frigidi, quam calidi imprimis reperti sunt; quorum mentio saepius facta est ab Itineratoribus, in his a Burckhardto in itin. in Syriam et Pal. locis haud paucis (cf. v. c. I. p. 434 seq. ed. Germ.). Notae sunt thermae Tiberiadis, Gadarenae, Callirrhoes, cum a Doctoribus Talmudicis, tum a Josepho, Plinio, Eusebio et Hieronymo summis laudibus celebratae. Eusebius (in Onom. voce ἀνείρ) λουτρὰ ἰαματικὰ esse perhibet (Rel. Pal. p. 501 seqq.), et in N. T. πολλῶν ἰατρῶν, qui in iis locis inveniebantur, fit mentio (Marc. 5: 26). Loca illa, quorum amoenitatem Josephus saepe laudavit, ipsius aetate diligenter lubenterque a plurimis hominibus visitata et frequentata sunt (vid. v. c. de B. J. III. 10. 7 et 8. IV. 1. 1.). In his verosimiliter multi fuerunt peregrini, ex variis regni Romani Provinciis adventantes: Quibus sanatis, fama J. C. in alias etiam terras sine dubio est delata; quo facto, via quodammodo parata esse videtur Apostolis, in iis regionibus doctrinam Religionis Christianae deinde docturis.

X I I.

XII.

Vera est conjectura Hugii, Theophilum illum, ad quem Lucas scripsit, Romae habitasse.

XIII.

Ut rejiciendum est decretum Concilii Tridentini, quo traditioni eadem auctoritas atque Libris Sacris tribuitur, ita etiam perverse illi agunt, qui nullam ejus rationem habendam esse putant. Traditio enim, origine ipsius explorata, ornamentisque et involucris rejectis, egregium est Antiquitatis cognoscendae subsidium.

XIV.

Argumenta, quae ad Unitatem Dei rationis ope probandam afferri solent, eam tantum vim habent, ut hanc doctrinam ad maximam verosimilitudinem perducant, non vero ut hanc evidenter demonstrent.

XV.

Homo, totus licet a Deo pendens, summo tamen jure, eorum, quae ab ipso peraguntur, mercedem accipit.

XVI.

Tantum abest, ut illi, qui doctrinam de Providentia Divina, singulos homines, singulasque res hac in terra curante, ex perversa hominum opinione derivant, Dei honori consulant, ut potius sententiam profiteantur, Deo prorsus indignam.

XVII.

Urbs, quae ab Herodoto (III; 5) dicitur κάδυτις, est Hierosolyma.

XVIII.

XVIII.

Magnum Judaeorum numerum Ciceronis aetate Romae degisse ex ipsius Oratione pro L. Flacco (c. 28) aliisque ex locis apparet.

XIX.

Ciceronis verba (quae ibid. leguntur): « Stantibus Hierosolymis, pacatisque Ju-« daeis, tamen istorum religio sacrorum a splendore hujus imperii, gravitate no-« minis nostri, majorum institutis, abhorrebat; nunc vero hoc magis, quod illa gens, « quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quam cara diis immortalibus es-« set, docuit: *quod est victa*, *quod elocata*, *quod servata* »: haec verba non probant, Judaeam a Pompejo in provinciae formam esse redactam.

XX.

Pericles non, ut putarunt nonnulli, Peloponnesiaci belli causa fuit.